



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

La
44
295



La 4. y. 295




Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)







0

Thaddaeus Sinko

752
2.5.1905

De Apulei et Albini doctrinae Platonicae adumbratione



CRACOVIAE.
SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM CRACOVENSIS.
APUD BIBLIOPOLAM SOCIETATIS LIBRARIAE
1905.

La 4.4. 295

Constantius Fund

**Seorsum impressum e Tomo XLI Dissertationum philologicae Classis
Academiae Litterarum Cracoviensis.**

Cracoviae. — Typis Universitatis Jagellonicae, provisore J. Filipowski.

De Apulei et Albini doctrinae Platonicae adumbratione.

Scriptit

Thaddaeus Sinko.

Quintum iam fere praeterlabitur lustrum, ex quo (a. 1879) Freudenthalus tertio fasciculo studiorum ad litteras Alexandrinas pertinentium¹⁾ eam, quae sub Alcinoi cuiusdam antea ferebatur nomine, placitorum Platonis expositionem (Λόγος διδασκαλικός τῶν Πλάτωνος δογμάτων) Albino vindicavit²⁾, philosopho Platónico, Cai sectatori³⁾, quem a. 152 p. Chr. n. Smyrnae Galenus audiebat⁴⁾. Sic postquam opusculi aetas definita est, nihil facilius esse videbatur, quam ut illud cum alius philosophi Platonici eiusdemque Albini coetanei libello, qui de eadem est re, compararetur. Sed frustra apud Freudenthalum Apulei quaeres mentionem, cuius disputatio de Platone et eius dogmate Albini sospitatoris aciem fugit, vel saltem e memoria eius excessit. Hoc quidem excusari potest, quod Prantelius, cum falsi Alcinoi aetate nondum cognita, quae logicorum apud Occidentales essent fata, enarraret, et in introductionem illam in philosophiam Platonis sagaciter inquireret⁵⁾, nullam eius

¹⁾ Hellenistische Studien, Heft 3, der Platoniker Albinos u. der falsche Alkinoos, Berlin, Calvary, 1879.

²⁾ L. l. p. 297 sqq.

³⁾ L. l. p. 245. Servatus est in indice Platoniorum in Alcinoi editione Oxoniensi (a. 1667 p. 98 sq.) publici iuris facto, hic titulus: Ἀλβίνου τῶν Γάτου σχολῶν ὑποτυπώσεων Πλατωνικῶν δογμάτων βιβλίοι ι.

⁴⁾ Galen. de propr. libr. 19, 16. Kühn.

⁵⁾ Carl Prantl, Geschichte der Logik im Abendlande, Leipzig, Hirzel, 1855, I p. 610 sqq..

libelli conspexit necessitudinem cum opusculo *περι ἐρμηνείας* intercedentem, quod ab Apuleio scriptum, vel potius e Graeco exemplari translatum esse, persuasum habuit et in quo explicando multum laboris posuit¹⁾. Magis mirum est illam necessitudinem minimi factam esse a Hugone Kleistio, qui philosophiae moralis ab Apuleio descriptae fontem ignotum constituere maluit, a philosopho quodam Academico e diversis diversarum sectarum placitis conflatum²⁾, quam eam cum Albini comparare doctrina, praesertim cum ipse hanc protulerit sententiam: „Academicorum nescio an solus Alcinous, Apulei fortasse aequalis, nonnulla in omnibus philosophiae partibus exhibeat, quae propius ad quaedam Apulei placita accedant“³⁾. Cuius sententiae immemor Goldbacherus, cum a. 1876 Apulei libros, qui sunt de philosophia, ederet, Platonem, Aristotelem, alios iam a Hildebrandio laudatos inter scriptoris protulit auctores Albini memoria plane neglecta, quam neque novem annis post respexit in libello *περι ἐρμηνείας* recensendo⁴⁾. Et qui proximo lustro multum posuit studii ac laboris cum in Apulei vita accuratius, quam ante fiebat, enarranda, tum in scriptis eius explicandis⁵⁾, Maximilianus Kawczyński, ad alium finem attendebat animum, quam ut fontes librorum, qui ad philosophiam pertinent, denuo investigaret.

Equidem cum nuper sententiae Platonicae de philosophis regnantibus fati enarrandis occupatus Apulei et Albini doctrinam de optima republica eandem esse conspexissem, scire volui, quisnam virorum doctorum plura me de utriusque scriptoris necessitudine doceret. Nullum inveni. Itaque ipse maximo studio et gaudio operi me accinxi eo Apuleiani opusculi exemplari usus, quod ante octo fere annos (a. 1896) a Guilelmo Krollio nunc Gryphiswaldensi adnotationibus instructum est ad Thesauri linguae Latinae propositum spectantibus. Et mox animadverti Krollio Apulei et Albini necessitudinem quandam cognitam esse, qui sexies lectorem ad Albinum relegaverit. Qua re perspecta confestim virum doctissimum per litteras adii interrogando, ipsene eam rem pluribus expositurus

¹⁾ Ibid. p. 578—591.

²⁾ De Apulei... libro, qui inscribitur de philosophia morali, diss. Goetting. 1874 p. 42.

³⁾ l. l. p. 41. ⁴⁾ Wiener Studien VII, 1885, p. 251 sqq.

⁵⁾ ad nostram quaestionem pertinet libellus: De oratoriis et philosophicis Apulei scriptis (O pismach oratorskich i filozoficznych Apulejusza), Cracoviae, 1900, seorsum impressum e XXXI t. dissert. Acad. litter. Cracov. classis philol.

esset. Qui pro eximia sua benevolentia atque humanitate certio-
rem me fecit se aliis studiis obrutum hanc quaestionem persequi nolle
mihique eam perficiendam faustis omnibus permittere. Quo factum
est, ut aliquot mensibus in Apuleio et Albino comparando consump-
tis ipse, quem mihi invenisse videor, proponerem laboris fructum.

Sed ne in comparationis decursu ea, quae ab illo ex hoc ex-
scripta, perperam intellecta, detorta esse dicuntur, a legentibus ad
Albini referantur opusculum, quod praesto est, pauca praemonenda
nec non disquisitioni praeripienda esse videntur. Itaque hoc semper
memoria tenendum est ab Apuleio eundem fontem Graecum expi-
latum esse, quo etiam Albinus usus sit ita, ut eum in brevem sum-
mam collegerit. Quae in utroque inter se congruant ad illum fon-
tem referenda esse, quae Apuleius plura habeat quam Albinus ea-
demque ad ipsius Platonis verba proxime accedentia, ea interim
ex Platone esse explicanda, donec comparatione absoluta futurum sit,
ut fons communis accuratius definiatur. Ad quem finem ea via longa
nec non difficili incedendum est, ut non solum omnes sententiae, sed
fere verba Apulei cum Albini et Platonis exemplaribus conferantur:
nam eo demum modo omnes obscuritates, quas densas esse omnes
profitentur, amovebuntur, omnes ambages dirigentur vel saltem ex-
plicabuntur et non solum cogitandi atque intellegendi facultas Apu-
leiana illustrabitur, non solum scribendi ars et ratio cognoscentur,
sed etiam scriptoris verba plus quinquagies emendabuntur.

Platonis vita enarrata¹⁾ ad consulta eius adumbranda transit
Apuleius, quae cum ad vivendi, intellegendi, loquendi rationem
pertinere sibi persuaserit, nihilominus a philosophia naturali, id est
a consultorum parte secunda, initium capit disserendi²⁾. Haec enim
philosophia ad intellegendum pertinere videtur, cum vivendo phi-
losophia moralis inserviat, loquendo dialectica. — Eidem triplici
philosophiae Platonicae partitioni Albinus philosophiae et sapientiae
praemittit definitionem³⁾ et descriptionem philosophi⁴⁾ vitaeque eius
contemplativae conditionem a vita activa satis alienam⁵⁾. Et vitam
quidem contemplativam in tribus potissimum versari dicit: in con-
templatione et cognitione eorum, quae sunt; in virtutum actione;

¹⁾ p. 63—66, 11 Goldbacheri. Haec pars seorsum tractabitur in excursu.

²⁾ p. 66, 11—16. ³⁾ c. 1 p. 9, 1—5. Notantur paginae editionis C. F. Hermanni (VI vol. editionis Platonis Teubnerianae), qui appendicem peculiari ornavit numeratione. Mihi quidem etiam versus numerandi erant. ⁴⁾ v. 5—24.
⁵⁾ c. 2.

in sermonis consideratione¹⁾. Ex quibus partibus ἡ.. τῶν ὄντων γνώσις est intellegendi ratio Apuleiana, ἡ πράξις τῶν καλῶν ratio vivendi, ἡ τοῦ λόγου, θεωρία ratio loquendi²⁾. Sed neuter ordinem partium philosophiae ab ipso propositum servat, cum Apuleius, ut diximus, a parte secunda expositionem suam incipiat, quae tamen eadem est ac Albini pars prima, nimirum ἡ τῶν ὄντων γνώσις; Albinus a parte tertia, postquam singula philosophiae genera novis eisdemque triplicibus distinxit divisionibus³⁾. Et sane optimo iure dialecticae primum concessisse locum videtur Albinus, cum haec philosophiae pars, in qua de cognoscendi et sciendi principiis agitur, quasi instrumentum quoddam sit reliquarum ac fundamentum. Qua in re Aristotelem secutus est Albinus, qui in Topicis (p. 163^b 11) dialecticam ὄργανον πρὸς γνώσιν appellavit (cf. La. Di. 5, 28. David. in categ. p. 26^a 11 οἱ δὲ λέγοντες ὅτι δεῖ ἀπὸ τῆς λογικῆς ἀρχεσθαι ἐφασκον, ὅτι ὄργανον ἡ λογική) quique analytica ante physica et metaphysica poni iussit⁴⁾. Apuleius dialectica e narrationis fronte expulsa maximis implicitus est difficultatibus in naturalis philosophiae expositione, quam Albinus dialectica descripta secundo loco proposuit⁵⁾. Quo factum est, ut nonnulla ad rerum naturam cognoscendam pertinentia alieno loco, scilicet mundi descriptioni, interserenda ei essent.

Tribus rerum initiis constitutis, scilicet deo, materia, ideis⁶⁾, singula breviter eodem ordine describit Apuleius. Albinus hac parte de principiis (περὶ τῶν ἀρχῶν) et iis, quae theologicae sunt contemplationis, agi dicit et ab illis initio ducto⁷⁾ de materia primum tractat⁸⁾, tum idearum reddit rationem⁹⁾, quibus materia formatur denique de deo disserit¹⁰⁾, qui rationis inter materiam et ideas intercedentis auctor est. Quem ordinem cogitandi legibus efflagitari, nemo est quin videat, cum Apulei ratio necessitate logica, ut ita dicamus, neglecta extranea specie ducatur et a parte potiori incipiat, scilicet a deo. Sed iam in ipsis rerum initiis enumerandis ma-

¹⁾ c. 3 in ἡ δὲ τοῦ φιλοσόφου σπουδὴ κατὰ τὸν Πλάτωνα ἐν τρισὶν εἴκειν εἶναι· ἐν τε τῇ θείᾳ καὶ τῇ τῶν ὄντων γνώσει, καὶ ἐν τῇ πράξει τῶν καλῶν καὶ ἐν αὐτῇ τῇ τοῦ λόγου θεωρίᾳ· καλεῖται δὲ ἡ μὲν τῶν ὄντων γνώσις θεωρητικὴ, ἡ δὲ περὶ τὰ πρακτέα πρακτικὴ, ἡ δὲ περὶ τὸν λόγον διαλεκτικὴ. ²⁾ de ea re disputabimus, cum de libello περὶ ἑρμηνείας sermo erit. ³⁾ p. 9, 25—10, 5. ⁴⁾ met. p. 100^b 4. ⁵⁾ c. 8—27. ⁶⁾ p. 66, 17—20. ⁷⁾ c. 8 p. 18, 21 sqq. ⁸⁾ c. 8. ⁹⁾ c. 9. ¹⁰⁾ c. 10.

ximi erroris et summae ignorantiae convincendus esset Apuleius¹⁾, si re vera haec de ideis scripsisset: *eas esse inabsolutas informes, nulla specie nec qualitatis significatione distinctas*. Quae attributa repugnant, immo contraria sunt antecedenti idearum appellationi — quis enim novit „rerum formas“ informes, nulla specie distinctas? — et eis, quae mox²⁾ rectissime de ideis narrantur; optime autem conveniunt cum materia, quam Apuleius rudem appellat et figurationis qualitate viduatam et infinitam indistinctamque³⁾. Eadem materiae Albinus attribuit, qui eam dicit ἀμορφόν τε (informem) ὑπάρχειν καὶ ἄποιον (nulla qualitatis significatione) καὶ ἀνείδρον (nulla specie). Quid? Estne putandum Apuleium in Graeco exemplari in Latinum transferendo paululum dormitavisse et ea, quae materiae debentur, ideis adscripsisse? At paulo post idem et materiae et idearum naturam recte descripsit. Adde, quod cum singula rerum initia seorsim tractanda sibi proposuerit, nulla re cogebatur, ut partitione vix proposita statim idearum proponeret praedicamenta eaque iis contraria, quae mox enumeranda essent. Quae cum ita sint, sententiam illam ab ideis seiungendam esse contendimus et materiae reddendam, ut in eius descriptione legatur⁴⁾: materiam vero inprocreabilem incorruptamque commemorat, <inabsolutam, informem, nulla specie nec qualitatis significatione distinctam>. Verba uncis inclusa cum in archetypo omissa essent et post in margine adscripta, ab eo, qui cum ideis ea in textu coniunxit, etiam numero ad ideas accommodata esse videntur. Hoc quidem certum est ea demum lectione accepta clarum fieri, quid sibi velit illud: „infinitam vero idcirco sqq.“: hac enim sententia materiae inabsolutae attributum explicari videtur. — Et ut ea⁵⁾, quae prolata sunt materiae praedicamenta, cum Albinus descriptione congruunt, ita et reliqua apud eum eadem esse facile cognoscuntur. Nam quae de materia figurarum capaci factionique subiecta⁶⁾ narrat Apuleius, respondent Albinus his: ἰδιότητα δὲ ἔχειν τοιαύτην, ὥστε πᾶσαν γένεσιν ὑποδέχεσθαι... καὶ ἀναδέχεσθαι... πάντα τὰ εἶδη⁷⁾; infinitae et infinibilis praedicamenta⁷⁾ ad haec referri possunt: ἀμετρος

¹⁾ v. E. Zeller, Philosophie der Griechen III, 2⁴ p. 226: die Ideen werden mit einem merkwürdigen Missverständnis ihres Begriffes... bezeichnet, ubi cf. adn. 3.

²⁾ p. 67, 19—24.

³⁾ p. 67, 5 sq.

⁴⁾ p. 67, 2.

⁵⁾ p. 67, 4.

⁶⁾ p. 18, 29.

⁷⁾ p. 67, 6. 9.

ὑπάρχει ἡ ὕλη κατὰ τὸν ἑαυτῆς λόγον¹⁾; et cum neque corpoream²⁾ eam dicit esse sed vi et ratione videri corpoream³⁾, reddit haec: τοιαύτη δ' οὔσα οὔτε σῶμα ἄν εἴη οὔτε ἀσώματον, δυνάμει δὲ σῶμα⁴⁾.

Hac duplici atque ambigua materiae natura definita Apuleius viam et rationem eius cognoscendae describit, cum dicit eam nec tactu solo neque tamen sola opinione cogitationis intellegi, sed adulterata opinione⁵⁾. Cuius adulteratae opinionis quae sit indoles in suspenso relinquit. Sed mox ideis descriptis redit ad res, quae sola cogitatione concipiuntur et quae sensibus subiectae sunt, et alteras quidem essentias „semper et eodem modo et sui pares ac similes inveniri, ut quae⁶⁾ vere sint“ dicit, alteras nasci et interire et non vere esse⁷⁾. Illi essentiarum generi deum, mentem, formas rerum, animam adnumerat, huic omnia quae gignuntur et mutantur adsignat⁸⁾; et quae de illo disputantur ratione stabili et plena constare contendit, quae de hoc proferuntur inconstanti disciplina⁹⁾. — Desideratur in binarum essentiarum commemoratione materia, quae ad utrumque genus quodammodo pertinens cogitatione cognoscitur non sine sensuum auxilio. Et post illas eius esse locum commodissimum nemo non videt. Neque minus patet inter rerum initia binarum essentiarum mentionem, per quas cuncta gigni dicuntur, frigere. Nam essentiae illae non nova quaedam rerum sunt initia uno ordine cum materia, ideis, deo ponenda, sed rationes quaedam rerum cognoscendarum, quae ab Albino optimo iure in dialecticae expositione describuntur. Is enim postquam duplicem cognoscendi rationem humanam constituit, alteram ad intellectum (περὶ τὰ νοητά), alteram ad sensuum obiecta (περὶ τὰ αἰσθητά) spectare dicit, et primam scientiam (ἐπιστήμη), alteram opinionem (δόξα) appellat; et illam certam ac stabilem esse affirmat, quippe quae circa certa et stabilia versetur principia, hanc tantummodo probabilem (ὁ δὲ πιθανός καὶ δοξαστικός sc. λόγος), cum ea quidem ad res mutationi obnoxias pertineat¹⁰⁾. Ex ea duplici scientiae et opinionis ratione concludit etiam obiecta, quae illi subiciantur, intellegibilia (τὰ νοητά) esse et, ut ideae¹¹⁾, intellectu iudicari non sine ratione

¹⁾ p. 19, 32. ²⁾) p. 67, 10. ³⁾ ib. v. 13. ⁴⁾ p. 19, 6 sq.

⁵⁾ p. 67, 14 sqq. cf. Alb. p. 18, 27 ὡς μὲν λογισμῶν ληπτόν.

⁶⁾ Sic enim legendum est cum Rohdeo (Jenaer Litteraturzeitung 1876, Nr. 660) pro et quae.

⁷⁾ p. 67, 24 sqq. ⁸⁾ p. 68, 5 sqq. ⁹⁾ ib. v. 12 sq. ¹⁰⁾ c. 4 p. 10, 22 sq. ¹¹⁾ p. 11, 30 sqq.

ea, quae scientiam gignat (νόσις κρίνει οὐκ ἄνευ τοῦ ἐπιστημονικοῦ λόγου); ea vero, quae opinionis sint, concreta (τὸ ἄθροισμα) esse et ratione eadem illa non sine sensu cognosci. Et illa contemplatione ostendi, quid verum sit, quid falsum (τὸ ἀληθές καὶ τὸ μὴ οὕτως ἔχον), hac consideratione diiudicari, quid proprium, quid alienum (τί τὸ οἰκείον καὶ τί τὸ ἀλλότριον)¹⁾. — Hanc quidem duplicem cognoscendi rationem Apuleius etiam altero loco²⁾ nulla data, sed vi arrepta occasione repetit ita, ut quae supra de duabus dixerit essentiis, hic aliis verbis de binis rerum naturis, opinionabili et intellegibili disserat ordine sententiarum inverso, re ipsa non mutata. Nam ibi primum de essentia cogitabili, tum de sensibili verba fecit, hic rerum natura δοξαστή intellegibili antecedit. — Cuius repetitionis causa quae putanda sit, iam commonuimus. Apuleius enim, cum primam disputationis partem omisisset, qua de dialectica agitur et cognoscendi ratione, ne adulterinam opinionem, qua materia percipitur, in suspenso relinqueret, nonnulla de cognoscendi ratione protulit ita, ut iuxta rerum initia perperam duas posuerit essentias, per quas cuncta gigni dixerit. Quod falsum esse cum ipse conspexisset, eandem rem denuo tractandam proposuit, cum pro duabus rerum essentiis duplicem rerum cognoscendarum recte explicavit rationem.

Hoc modo eis, quae immerito inter rerum initia ab Apuleio illata sunt, percensitis, ad alterum accedimus initium, scilicet ad ideas. In eis describendis inquit Albinus, quae ratio intercedat inter eas et deum, homines, materiam, mundum, denique inter semet ipsas, enumerat ea, quorum nullae sunt ideae, et argumentationem profert, qua probatur ideas vere existere³⁾. Qua ex doctrina Apuleius pauca protulit⁴⁾; ideas aeternas esse (εἶναι... τὰς ιδέας... αἰωνίους), non corporales (αὐλοὺς)⁵⁾, exempla rerum (παράδειγμα)⁶⁾, singulas cuiusvis generis⁷⁾, quarum impressione rerum omnium ad instar cerae formas et figurationes signari (ὄν τρόπον σφραγίδος μίς ἐκμαγεῖα γίνεται πολλά)⁸⁾.

Tertium rerum initium, id est deus, ab Albino post materiam et ideas tractatur, utpote qui auctor sit materiae ideis formandae. Et cum ineffabilis sit (ἄρρητος), nonnisi argumentatione quadam dif-

¹⁾ p. 12, 4 sqq. ²⁾ p. 71, 3—14. ³⁾ c. 9. ⁴⁾ p. 67, 19 sqq. ⁵⁾ p. 19, 32. ⁶⁾ ib. v. 21 cf. p. 22, 36. ⁷⁾ p. 67, 22 cf. Alb. c. 12 p. 23 1 sqq.) p. 23, 3.

ficili argui potest, quod sit et qualis sit¹⁾. Qua ex argumentatione Apuleius nonnisi nonnulla dei desumpsit praedicamenta²⁾, cum dixit eum incorporeum esse (ὥστε ἀσώματος ἂν εἴη ὁ θεός)³⁾, rerum genitorem rerūque omnium exornatorem⁴⁾ (πατήρ δὲ ἐστὶ τῶ ἀίτιος εἶναι πάντων καὶ κοσμεῖν τὸν οὐράνιον νοῦν)⁵⁾, optimum (ἀγαθόν)⁶⁾, nihil indigentem (ἀπροσδεής)⁷⁾. Haec Apulei de deo disputatio verbis Platonis concluditur, quae nonnullis mutatis e Timaeo exscripta sunt, praemissa Latina interpretatione. — Quae res duabus de causis maximi est in nostra disquisitione momenti: Primum enim docemur ea ab Apuleio praeter librum Graecum, quo Platonis continebantur placita ex scriptis collecta et ordine quodam digesta, etiam ipsius Platonis opera, imprimis Timaeum, et verba passim inspecta atque adhibita esse; tum cognoscimus Ciceronis versionem Timaei Platonici plane ab eo neglectam esse. Iam compara haec:

Apul. p. 66, 25

Cic. Tim. 6 p. 28 C

cuius (*dei*) naturam invenire difficile est, si inventa sit, in multos eam enuntiari non posse.

illum quidem.. invenire difficile est, et cum iam inveneris, indicare in vulgus nefas.

Sed maioris in hac re demonstranda auctoritatis sunt loci, quibus Apuleius clara voce clamat se primum cum difficultatibus Timaei in Latinum vertendi luctari: Itaque cum de quattuor animantium generibus loquitur, tertium terrenum atque terrestre appellat additque: sic enim πεζόν et χερσαῖον censui nuncupanda.

Apul. p. 73, 1 sqq.

Cic. Tim. 35 p. 39 C.

iam ipsa animantium genera in IV species dividuntur, quarum una est ex natura ignis... alterum ex aëria qualitate, tertium ex aqua terraque coalescere, et mortale genus ex eo dividi terrenum atque terrestre⁸⁾.

erant autem animantium genera IV, quorum unum divinum atque caeleste, alterum pinnigerum et aërium, tertium <aquatile>, terrestre quartum.

Albinus quidem corporum caelestium et daemonum creatione descripta, tria animantium genera restare dicit, quae quidem mor-

¹⁾ c. 10. ²⁾ p. 66, 20, ubi pro „sed“ et legendum est ea, quae antecedit sententia, ex hoc loco extrusa. ³⁾ p. 22, 6.

⁴⁾ Hanc Lennepii coniecturam cum Hildebrandtio in textum recipiendam esse pro extortor, quod codd. exhibent, docet Graecum κοσμεῖν; Oudendorpii constructor ab E. Rohde'o commendatus nihili est.

⁵⁾ p. 20, 35 sq. ⁶⁾ p. 20, 30. ⁷⁾ ib. v. 28.

⁸⁾ cf. Chaloidii huius loci versionem: „deus diversa animalium genera sta-

talia futura essent: volatile (τὸ πτηνόν), aquatile (τὸ ἐνυδρον), terrestre (τὸ πεζόν)¹⁾. Apuleius hac in re describenda ad ipsum recurrit Platonem neque tamen Timaei Ciceroniani bona opera usus est. Itaque cum φύσιν νοουμένην²⁾ Latine exprimere vellet, eam suo periculo cogitabilem et intellegibilem nuncupavit hac propter nova verba fingenda usus excusatione: detur enim venia novitati verborum rerum obscuritatibus servienti³⁾.

Disputationi de deo adiunxit Albinus argumentationem, qua qualitates esse incorporeas contendit⁴⁾ eaque absoluta mundum descripsit ex igni et terra fabricatum, inter quae aër et aqua interiecta sunt⁵⁾; tum materiam figuris in elementa formatam explicavit⁶⁾. Apuleius de qualitatibus disserere supersedit statimque quattuor elementis enumeratis naturam eorum simplicem esse contendit neque ad instar syllabarum mutuo nexu copulari. Ut comparatio ipsa translata est e Platonis Timaeo 48 B: προσήκον αὐτοῖς (sc. στοιχείοις) οὐδ' ὡς ἐν συλλαβῆς εἶδει μόνον εἰκότως... ἀπεικασθήναι, ita et in reliquis nonnulla Platonica inter Albiniana intermixta esse videntur. Atque iam ordo ipse, in quo elementa enumerantur ita, ut igni aqua postponatur, aquae terra et aër, Platonis est⁷⁾, cum Albinus igni terram adiungat⁸⁾. Sed quae mox de elementis inordinatis permixtisque narrantur, a mundi aedificatore numeris et mensuris in ambitus deductis, referenda sunt ad Albinum haec: ἦν (sc. ὕλην) ἀτάκτως καὶ πλημμελῶς κινουμένην... ἐκ τῆς ἀταξίας παραλαβὼν πρὸς τὴν ἀρίστην ἤγαγε τάξιν, ἀριθμοῖς πρέπουσι τὰ μέρη κοσμήσας καὶ σχήμασιν. Nam Plato tantummodo tradit omnia sine ratione et sine modo (ἀλόγως καὶ ἀμέτρως) fuisse⁹⁾, sed hoc loco de ordine restituto nihil loquitur. Etiam quae ab Apuleio adduntur: „haec e plurimis elementis ad unum redacta esse“ pendent ex Albino, qui dixit: ὅς (sc. ὁ τῆς ἀναλογίας δεσμός)... τὰ συνδούμενα πέφυκεν ἐν ποιῆν¹⁰⁾. — Similis est ratio narrationis de figuris et elementis¹¹⁾, cuius pars ad Platonis verba ambagum plena revocari potest, pars ad Albinum sim-

tuit esse debere constituitque quattuor: primum caeleste plenum divinitatis, aliud deinde praepes, aërivagum, tertium aquae liquoribus adcommodatum, quartum quod terrena soliditas sustineret — ut iam ex his cognoscas, ne hunc quidem Ciceronis versionem in manu habuisse. Neglexit eam etiam Augustinus, alii scriptores ecclesiastici, de qua re alia data occasione disputabimus.

¹⁾ c. 16 p. 27, 33 sqq. ²⁾ Plat. Tim. 51 D νοούμενα. ³⁾ p. 71, 6.

⁴⁾ c. 11. ⁵⁾ c. 12. ⁶⁾ c. 13. ⁷⁾ Tim. 53 B. ⁸⁾ p. 23, 16 saep. ⁹⁾ Tim. p. 53 A. cf. Alb. p. 23, 17. ¹⁰⁾ p. 23, 27. ¹¹⁾ p. 68, 24 sqq.

plicem claritatem. Et ignis quidem trigonum angulo recto non paribus partibus instructum Platonis est *τριγώνιον μίαν ὀρθὴν ἔχον γωνίαν, πλευραῖς ἀνίσους ἄνισα μέρη νενεμένης* (sc. τῆς ὀξείας γωνίας¹⁾); terrae trigona directo angulo et vestigiis paribus sunt ea, de quibus Plato dicit: *ἐκατέρωθεν ἔχει μέρος γωνίας ὀρθῆς πλευραῖς ἴσας διηρημένης*²⁾. Sed iam ea, quae sequuntur, cum Albino rursus congruunt:

Apul. p. 69, 2 sqq.

et prioris quidem formae tres species existere: pyramidem, octangulam et vigintiangulam sphaeram. et pyramidem figuram ignis in se habere, octangulam vero aëris, angulatam vicies sphaeram aquae dicatam esse.

Alb. c. 13 p. 24, 12 sqq.

διεσχηματίσει πυραμίδι (καὶ κύβῳ) καὶ ὀκταέδρῳ καὶ εἰκοσαέδρῳ· καὶ καθὸ μὲν πυραμίδος σχῆμα ἔλαβεν ἡ ὕλη, πῦρ ἐγένετο...· καθὸ δὲ ὀκταέδρου τὴν ἀέρος ποιότητα ἀνέλαβε, καθὸ δὲ εἰκοσαέδρου τύπον τὴν ὕδατος ποιότητα ἔσχε.

Cubi nullam antehac mentionem Apuleius fecit. At nunc cum Albino terrae proprium eum esse dicit: τὸ δὲ τοῦ κύβου σχῆμα ἀπεδίδου τῆ γῆ³⁾. In elementorum tamen proprietatibus enarrandis Platonem⁴⁾ sequitur, cuius sententia, ab Albino quidem neglecta, hanc descriptionem concludit: „et alia initia inveniri forsitan posse, quae deo nota sunt vel ei, qui sit diis amicus“. τὰς δ' ἔτι τούτων ἀρχὰς ἀνωθεν θεός οἶδε καὶ ἀνδρῶν, ὃς ἂν ἐκείνῳ φίλος ᾖ⁵⁾. Sed Plato de figurarum causis ignotis loquitur, Apuleius ipse non scit, quae alia initia praeter prima elementa inveniri possint, nisi eum de aethere cogitare putabis, de quo haec tradidit in libro de mundo⁶⁾: „elementum non unum ex quattuor, quae nota sunt cunctis, sed longe aliud, numero quintum, primum ordine, genere divinum et inviolabile“.

In ea, quae sequitur mundi descriptione nec Albinus a Platone longe recessit nec ab Albino Apuleius. Itaque cum mundum ex omni aqua, igne, aëre, terra factum dicit nullamquae illorum partem extra orbem relinqui, sed <ne> vim quidem eius esse⁷⁾ extrinsecus invenendam⁸⁾, cum Platone⁹⁾ componendus est propter illud extrinsecus (ἐξωθεν) ab Albino omissum. Sed quae adiungitur

¹⁾ Tim. p. 53 D. ²⁾ ibid. ³⁾ p. 24, 18. ⁴⁾ Tim. p. 56 A, 55 D.

⁵⁾ ib. 53 D extr.

⁶⁾ 291 Oud. Quae ex eiusmodi concordantiis cum reliquis Apulei scriptis ad eorum tempus definiendum erui possunt, ea excursu tractabuntur.

⁷⁾ legendum enim est: sed ne vim quidem eius e<sse> extrinsecus inveniri cf. v. 27 eoque nihil praeterea extrinsecus est relictum, οὐδὲ δύναμιν ἐξωθεν ὑπολιπών. Ad formulam „est inveniri“ v. Wölfflin, Archiv. 9 (1896), 492.

⁸⁾ p. 69, 15—20. ⁹⁾ Tim. 32 C, cf. Alb. p. 23, 19 sq.

sententia rursus eodem loco apud Albinum legitur ex eoque corrigenda est. Is enim de elementorum mutua cognatione atque coniunctione haec dicit: διὰ τοῦτο πυρὸς ἐν μέσῳ καὶ γῆς ἀήρ τε καὶ ὕδωρ ἐτάχθη... ὥστε ὡς ἔχει πῦρ πρὸς ἀέρα, οὕτως ἔχειν ἀέρα... πρὸς ὕδωρ¹⁾. Quae verba hoc modo ab Apuleio reddita sunt: „idcircoque in igne atque terra aqua<m> et aere<m> esse situm²⁾, ut sicut ignis aeri cognatione coniungitur, ita humor adfinitati terrenae iungatur“. Verbis: „unum esse mundum... nec relictum locum, in quo alius, nec elementa superesse ex quibus alterius mundi corpus possit esse³⁾ redduntur haec Platonis: πρὸς δὲ τοῦτος ἐν, ἅτε οὐχ ὑπολειμμένων, ἐξ ὧν ἄλλο τοιοῦτο γένοιτ' ἄν⁴⁾, ex quo etiam ea sumpta sunt, quae de perpetua mundi iuventute (ἀγήρων) et inviolata valetitudine (ἄνοσον) narrantur⁵⁾. Quae modo dispersis typis expressa sunt, non inveniuntur apud Albinum, qui etiam ἄνοσον ante ἀγήρων posuit⁶⁾. Attamen cum Apuleius nihil extrinsecus relictum esse dicit, „quod corrumpere posset ingenium eius⁷⁾“, proxime accedit ad Albinum, qui scripsit: ἅτε αὐτῷ μηδενὸς προσίοντος τοῦ κηραίνειν πέφυκός⁸⁾. Sed iam quae de mundo apud se ex omni parte composito atque ordinato narrantur, cui adversantia et contraria naturae disciplinaeque eius officere non possunt, ex Platone pendent, apud quem legimus: ὥστ' εἰς ταῦτόν αὐτῷ ξυελθὸν ἄλτοιν ὑπὸ τοῦ ἄλλου... γενέσθαι⁹⁾. Formae mundi descriptio¹⁰⁾ fere Albiniana est¹¹⁾, nisi quod verba „sui similis sibi que respondens“ Albino desunt, leguntur apud Platonem: ὁμοιότατον... αὐτῷ ἐαυτῷ¹²⁾.

Adiungit Plato¹³⁾ et ex Platone Albinus¹⁴⁾ argumentationem, qua demonstratur, mundum nec sensibus nec aliis vitae instrumentis, ut manus et pedes sunt, egere, motumque habere, quo in orbem se vertit. Uterque addit etiam cetera motuum genera ab eo remota esse. Quae qualia sint, vertit Apuleius e Tim. 36 B: ἐξ ἀπάσας κινήσεις ἔχον (sc. τὸ ζῶον)· εἰς τε γὰρ τὸ πρόσθεν καὶ ὀπίσθεν καὶ πάλιν εἰς δεξιὰ καὶ ἀριστερὰ κάτω τε καὶ ἄνω καὶ πάντη κατὰ τοὺς ἐξ τόπους πλανώμενα προήειν, cum scripsit: „septem locorum motus habeantur,

¹⁾ p. 23, 29 sqq.

²⁾ Hanc lectionem Graeco probari exemplari facile concedetur. Codd. habent: „aqua et aere est situs“, quod edd. ad mundum referunt, sed neque sensum neque constructionem explicari possunt.

³⁾ p. 69, 23 sqq. ⁴⁾ Tim. 33 A cf. Alb. 23, 33. ⁵⁾ ibid. ⁶⁾ p. 23, 35. ⁷⁾ p. 70, 1. ⁸⁾ p. 23, 35. ⁹⁾ Tim. 32 C. ¹⁰⁾ p. 70, 5 sqq. ¹¹⁾ p. 23 fin. ¹²⁾ Tim. 33 B. ¹³⁾ ib. 33 C D. ¹⁴⁾ p. 24 in.

progressus et retrocessus, dexteriores ac sinistri, sursum etiam deorsumque nitentium“. In septimo motus genere describendo respicit Albinus haec: ἀφελόμενος... τὰς λοιπὰς κινήσεις μόνην αὐτῷ δέδωκε τὴν κυκλοφορικὴν, νοῦ καὶ φρονήσεως οἰκείαν ὑπάρχουσιν¹⁾).

Mundum sine initio esse Plato nusquam docuit. Itaque Apulei verba: „mundum... sine initio esse dicit“ veritati repugnant et ab Apuleio deducta esse videntur ex Albinus his: ὅταν δὲ εἴπη γενετὸν εἶναι τὸν κόσμον, οὐχ οὕτως ἀκουστέον αὐτοῦ, ὡς ὄντος ποτὲ χρόνου, ἐν ᾧ οὐκ ἦν κόσμος²⁾: ergo semper fuit mundus. At Plato dicit: γέγονεν (sc. ὁ κόσμος)· ὄρατος γὰρ ἀπτόσ τε ἐστίν³⁾. Inde Apuleio mundus et tangitur et videtur sensibusque corporeis est obvius. Immortalitate vero mundum ab opifice praeditum esse, docet Plato (Politic. 270) cum dicit: λαμβάνοντα (sc. τὸν κόσμον) ἀθανασίαν ἐπισκευαστὴν παρὰ τοῦ δημιουργοῦ. Quam sententiam ita Apuleius expressit, ut diceret: „sed quod ei nascendi causam deus praestitit, ideo immortaliter perseverantia est semper futurus“.

Corporis mundi descriptionem excipit apud Platonem⁴⁾ et Albinum⁵⁾ animae mundi descriptio. At Apuleius suoapte Marte de anima loquitur omnium animantium incorporea atque immortaliter⁶⁾, cuius praedicamenta cum Platonica mundi anima congruunt. Itaque etiam constructione Graeca retenta „omnium gignentium“ eam dicit esse seniore (προτέραν καὶ πρεσβυτέραν)⁷⁾; atque ideo et imperitare et regere (ὡς δεσπότην καὶ ἄρξουσιν)⁸⁾ ea, quorum curam fuerit diligentiamque sortita (τὴν διδασκαλίαν αὐτῆς πεποιήται)⁹⁾. Sed quae de anima motus omnis causa narrat, rursus ad quemlibet animam a Platone¹⁰⁾ et Albino¹¹⁾ referuntur, non ad animam mundi. Quod cum animadvertisset Apuleius, ei, de qua adhuc disputavit, animae cuilibet opposuit „illam... caelestem animam“, quam virtute¹²⁾ (δυνάμει) animarum omnium esse genetricem¹³⁾ declaravit. Quam cum subservire fabricatori deo dicit et praesto esse ad omnia inventa eius, respicit haec Albinus: ὅπως ἀποβλέπουσα πρὸς τὰ νοητὰ

¹⁾ p. 24, 3 sqq. ²⁾ p. 25, 27 sq. ³⁾ Tim. 28 B. ⁴⁾ Tim. 34 C sqq.
⁵⁾ c. 14. ⁶⁾ p. 70, 21. ⁷⁾ Tim. 34 C. ⁸⁾ ib.

⁹⁾ Alb. p. 25, 15, ubi quid in lacuna ante διδασκαλίαν steterit, ex Apuleio conicere possumus.

¹⁰⁾ Phaedr. 245 C. ¹¹⁾ p. 34, 12 sq.

¹²⁾ sic enim cum cod. Monacensi et Vaticano legendum est. Simili modo Graecum δυνάμει interpretatur Apuleius p. 67, 73 v. supra p. 134.

¹³⁾ p. 70, 26.

αὐτοῦ... ἐπιειμένη τῶν ἐκείνου νοημάτων¹⁾. In numeris vero et modis congeminitis ac multiplicatis augmentis incrementisque commemorandis, quibus anima mundi exornata esse dicitur²⁾, ea comprehendit, quae late Plato de ea re disputavit Tim. 35 B — 36 B. Qui cum in ea re describenda artis usus sit vocabulis a musica petitis et intervalla quaedam (διαστήματα)³⁾ commemoraverit, Apuleius ultro progressus mundum musice et canore moveri asseruit, quod ei aliunde notum erat. Adiunxit Plato (37 A sqq.) disputationem de mundi ambigua cognitione, quem secutus Apuleius, quamquam Albino duce iam supra⁴⁾ de ea re disputavit, de uo eam aliis verbis ac sententiis tractat ita, ut manifestum praebeat documentum se praeter placitorum Graecum compendium etiam Platonis opera, imprimis Timaeum, inter manus habuisse et in usum suum convertisse.

Itaque etiam in temporis descriptione⁵⁾ potius Platonem ipsum quam Albinum Apuleius secutus esse videtur, qui cum hoc nonnisi ipsam temporis definitionem habeat communem: tempus aevi esse imaginem (ὡς ἂν εἰκόνα τοῦ τοῦ αἰῶνος)⁶⁾, cum Plato αἰώνιον εἰκόνα⁷⁾ illud appellaverit. Cetera Platonis sunt: tempus moveri (κινήτόν)⁸⁾, perennitatem fixam et immobilem esse (μένοντος αἰῶνος ἐν ἐνί)⁹⁾, in eamque tempus ire (κατ' ἀριθμὸν ἰοῦσαν)¹⁰⁾; ac dissolvi posse, si quando hoc decreverit fabricator mundi deus. Sed non aeternitatem et tempus dissolvi posse dicit Plato, immo caelum et tempus: χρόνος δ' οὐκ οὐρανοῦ γέγονεν, ἵνα ἅμα γεννηθέντες ἅμα καὶ λυθῶσιν, ἂν ποτε λύσις τις αὐτῶν γίγνηται¹¹⁾. Eiusdem sententiam de mundanis conversionibus, quibus temporis mensura efficitur: χρόνον ὄντα τὰς τούτων (sc. dierum, mensium, annorum) πλάνας¹²⁾ ita detorsit Apuleius, ut dixerit: „eiusdem temporis spatiis mensuras mundanae conversionis intellegi“. Sed quae de stellis temporis custodibus disserit, eis plane redduntur Platonis haec: ἥλιος καὶ σελήνη καὶ πέντε ἄλλα ἄστρα ἐπίκλην ἔχοντα πλανητὰ εἰς διορισμὸν καὶ φυλακὴν ἀριθμῶν χρόνου γέγονε¹³⁾. Stellarum erronearum appellatio ansam ei dat ad

¹⁾ p. 25, 38 sq. ²⁾ p. 70, 30 sqq. ³⁾ Tim. 36 A. ⁴⁾ p. 67, 24 sqq. v. supra p. 6. ⁵⁾ p. 71, 15—72, 17. ⁶⁾ p. 26, 21. ⁷⁾ Tim. 37 D. ⁸⁾ ibid. ⁹⁾ ib. ¹⁰⁾ ib.

¹¹⁾ Tim. 38 B. cf. Alb. p. 27, 19 δ δὴ πᾶν λύσιν οὐκ ἔχει κατὰ τὴν ἐκείνου βούλησιν.

¹²⁾ ib. 39 D. ¹³⁾ ib. 38 C.

rem Platonis doctrina¹⁾ refutandam, qua illae minime errare dicuntur, et ad motus stellarum iterum²⁾ commemorandos. In diebus, noctibus et annis explicandis nonnisi argumentum e Platone³⁾ sumpsit propriis verbis ac sententiis usus. Nam solus „chorus antiquus“ stellarum Platonis⁴⁾: χορείς δὲ τούτων in memoriam revocat. — Propius ad Platonem⁵⁾ in temporum mensuris enarrandis (p. 72, 3—17) accessit, qua in parte nonnisi noctis finem suoapte ingenio definivit, cum dixit eam inventam esse „ut quies desiderata proveniret animantibus“. Et quae nunc vix fere intellegi potest conclusio, qua temporum enumeratio intellectum cogitationis invenisse dicitur, etiam ad Platonis verba referri poterit, si eam gravi mendo liberaverimus duobus substantivis transpositis. Legas iam sodes Platonis verba haec⁶⁾: solem accensum esse a deo, ἴνα... μετὰ χοί... ἀριθμοῦ τὰ ζῶα, ὅσοις ἦν προσῆκον, μαθόντα παρὰ τῆς ταύτης καὶ ὁμοίου περιφορᾶς, ut non dubites, quin Apuleius scripserit: „horum cogitatio... intellectum [e]numerationis invenit“. Agitur enim de origine numerorum, immo numerationis, quae temporum observatione et cogitatione effecta est.

Excipit apud Albinum hanc temporis descriptionem disputatio de septem corporibus caelestibus⁷⁾, quorum nomina secundum Epinomidis (986 B—987 B) auctorem proferuntur. Apuleius contrarium Albino ordinem in eis enumerandis observat. Ille enim a luna initium capit, quae est terrae proxima, tum Solem, Luciferum, sidus Mercurii enumerat; extremum Saturni sidus appellat, propius quam hunc Iovis et Martis stellam collocat, et omnia ab extrema, octava potestate contineri dicit. Quam potestatem a sphaera errante non differre facile conicies, si legeris haec⁸⁾: ἐπὶ τὰ τοίνυν σφαιρῶν οὐσῶν ἐν τῇ πλανωμένῃ σφαίρᾳ κ. τ. λ. Ab hac plane differt ἡ ἀπλανῆς σφαίρα, ex qua Apuleius ἀπλανῆς quasdam effecit stellas primum sub sphaera errante locum tenentes. Infra eas positus est Juppiter, Mars Venus, Sol, Luna. Et Veneris quidem appellatio, Albino ignota, legitur in Epinomide (987 B): ὁ μὲν γὰρ ἑωσφόρος Ἑσπερός τε ὦν αὐτὸς Ἀφροδίτης. — Interpolavit hoc loco Apuleius sententiam de elementis, quorum ignem superiorem esse dicit, sub eo aërem iacere,

¹⁾ legg. VII p. 822 A οὐ γὰρ ἐστὶ τοῦτο... τὸ δόγμα ὀρθὸν περὶ σελήνης τε καὶ ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων, ὡς ἄρα πλανᾶται ποτε, πᾶν δὲ τοῖνάντων ἔχει τοῦτου.

²⁾ v. supra p. 70, 10. ³⁾ Tim. 39 B seqq. ⁴⁾ ib. 40 C. ⁵⁾ ib. 39 B—E. ⁶⁾ ib. 39 B. ⁷⁾ p. 26 fin—27, 12. ⁸⁾ Plat. Tim. 39 B.

deinde aquam, postremo terram. Sed quae supra ¹⁾ in mundi creatione describenda apte hoc ordine enumerata sunt, hic posita demonstrant Apuleio minime claram fuisse hanc, quam depinxit, mundi imaginem. Debebat enim cum Albino ²⁾ inter errantium et inerrantium sphaeram aethera ponere, infra aerem collocare, in medio autem cum humore suo terram. Quam cum aequalem loco ac figura immobilem stare dicit, reddit Albini haec ³⁾: μένουσα... διὰ τὸ ἰσόβροπον τι εἶναι χρῆμα ἐν μέσῳ κείμενον. — Etiam quae de astrorum narrantur natura ⁴⁾, ex Albino pendunt: hos astrorum ignes sphaeris adfixos... animales deos dicit esse: ἑπτὰ σώματα... ἐκ πυρώδους τῆς πλείστης οὐσίας ἐφήρμοσε ταῖς σφαίραις... πάντες δὲ οὗτοι νοερὰ ζῶα καὶ θεοὶ ⁵⁾. — Sequitur apud Albinum ⁶⁾ disputatio de reliquis deis praeter stellas et fabricatorem mundi, quam narratio de tribus animantium generibus excipit ⁷⁾. Et hanc quidem ab Apuleio secundum Platonem expositam esse supra ⁸⁾ demonstravimus. Subiungit Apuleius deorum enumerationem ⁹⁾, quam quidem ex his, quae adhuc disputata sunt, ipse composuisse videtur. Et hic iam daemonum inseruit mentionem, quos Latinae medioximos appellavit. Quos cum „sui esse ratione“ asserit, exprimi vult eos sui iuris esse ratione; et cum eos natura hominum maiores esse dicit, Albini respicit haec: ζῶου κρείττονος θνητῆς φύσεως ¹⁰⁾. Sed horum daemonum natura pluribus hic ab Apuleio non explicatur, et providentia demum exposita rursus de eis, tamquam de re nova narratur eos ministros esse deorum custodesque hominum et interpretes, si quid a deis velint ¹¹⁾: κατὰ τὴν ἐκείνου ἐντολὴν καὶ μίμησιν πράττοντες ὅσα πράττουσιν ¹²⁾. Igitur si daemones secundum dei voluntatem omnia perficiunt, mundus dei providentia regitur. Hanc tamen conclusionem facillimam Apuleius facere supersedit; idemque interrogationem silentio praeteriit, quomodo providentia cum fato conciliari possit et unde malum sit, si dei providentia mundus regatur. Nihilominus hic ¹³⁾ eas quaestiones explicare conatur ita, ut dicat nullius mali causam deo adscribi posse (θεὸς ἀνάτιος) ¹⁴⁾. Iam expectamus, ut cum Platone di-

¹⁾ p. 69, 21 sq. ²⁾ p. 27, 30 sqq. ³⁾ ib. v. 28 sq. ⁴⁾ p. 72, 27 sqq.

⁵⁾ p. 27 in cf. Plat. Tim. 40 B ὅσ' ἀπλανῆ τῶν ἀστρων ζῶα θεῖα ὄντα.

⁶⁾ c. 15 p. 27. ⁷⁾ c. 16. ⁸⁾ p. 136. ⁹⁾ p. 73, 9 — 16. ¹⁰⁾ p. 27, 16. ¹¹⁾ p. 74. 8 sq. ¹²⁾ p. 27, 21 cf. Plat. Conviv. 202 E. ¹³⁾ p. 73, 16 — 74, 19.

¹⁴⁾ Plato, rep. X 617 E. cf. Tim. 42 D ἵνα τῆς ἑπειτα εἴη κακίας ἀνάτιος. Rp. II. 379 C τῶν... κακῶν ἀλλ' ἅττα δὲ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν.

catur hominem ipsum sortis suae esse auctorem (αἰτία ἐλομένου)¹⁾: nam e Lachesis genibus (i. e. ex praeterito tempore, ex quo vita futura pendet) genium unicuique et vitae genus esse eligendum, quo necessario deinde utendum esse; virtutem cuique liberam relinqui, quam ut quisque magni parvique fecerit, ita plus minusve esse luctaturum²⁾. Cum hac liberae electionis condicione congruunt ea, quae alio loco Plato dixit: homines et summi dei et praesidis ipsorum daemonis cura destitutos ipsos vitae suae curam habere, mundi totius instar, quem semper imitentur³⁾. Et cum mundus necessitate regatur⁴⁾, etiam hominum vitam a necessitate regi clarum est. Quid? Nonne idem Plato in Convivio docuit inter mortales deosque daemones medios esse, qui interpretentur et traiciant humana ad deos, divina ad homines, horum quidem preces et sacrificia, illorum praecepta sacrorumque remunerationes; per quos vaticinia, divinatio omnis et magica procedat⁵⁾? Ex quibus colligi potest homines diis curae esse. — Hanc difficultatem Albinus quidem silentio praetermisit ita, ut primum daemonum officia ex Platonis enarraret sententia⁶⁾, tum ea, quae in Republica de necessitate et libera electione prolata sunt, appendicis loco post philosophiam moralem poneret⁷⁾. Apuleius vero statim daemonum commemoratione facta eorum curam hominum, quae recte providentia appellari potest, cum necessitate conciliare studuit dicendo ea, quae providentia fiant eadem ipsa re et fato fieri⁸⁾. Unde is tamen suas providentiae et fati sumpserit definitiones, ignoramus. Certe Platonis eae non sunt. Sed quaestionem difficillimam ipsi clarum non fuisse, docemur vel eo, quod et daemones bis⁹⁾ tractantur et de fato sententia bis¹⁰⁾ repetitur, altero quidem loco ad Albinum accedente. Nam Apulei verba: nec sane omnia referenda esse ad vim fati putat, respondent Albini his: οὐ μὴν πάντα καθαιμάρθαι¹¹⁾. At cum in fortuna esse nonnihil dicit, respicit illud Platonium¹²⁾: ὡς θεός μὲν πάντα καὶ μετὰ θεοῦ τύχη καὶ καίροσ τάνθρωπινα διακυβεῖν ὡς ζύμπαντα. Et eiusdem verba¹³⁾ in memoria habet, cum de casibus consilia nostra evertentibus narrat. Sed felicitatis et infelicitatis definitiones non apud Platonem invenit. —

¹⁾ rp. X 617 E. ²⁾ ibid. ³⁾ Politic. 274 D. ⁴⁾ ib. 273 AB. ⁵⁾ Conv. 202 E. ⁶⁾ p. 27, 13 — 24. ⁷⁾ c. 26 p. 35. ⁸⁾ p. 73, 16 sq. ⁹⁾ p. 73, 14~p. 74, 8. ¹⁰⁾ p. 73, 19~p. 74, 10. ¹¹⁾ p. 35, 2. ¹²⁾ legg. IV p. 709 B. ¹³⁾ ib. 709 A.

Quam autem huic disputationi adiunxit sententiam: „omnium terrenorum nihil homine praestabilius a providentia datum esse“, ea pertinet ad illa, quae ante daemonum descriptionem de terrenis dicta sunt animalibus: „genus terrenum... esse arborum ceterarumque frugum...¹⁾), omnium vere terrenorum nihil homine praestabilius“.

Providentiae quidem commemoratione hanc alienissimam a narrationis cursu sententiam cum praecedentibus coniunctam esse vel saltem videri voluit, quae sane ad ea, quae sequuntur, trahenda est et initio capitis XIII ponenda. Sed ne ita quidem ratio ulla efficietur, qua illud „quare“ explicari possit. Et ordo ipse materiae disponendae diversus est ab Albiniano. Hic enim primum de corpore narrat fabricando²⁾, tum de sensibus³⁾, postremo animae indolem describit⁴⁾. Apuleius Platonem⁵⁾ secutus ab anima initium capit, sed sensibus et corpore descripto rursus⁶⁾ eandem rem tractat eo loco, quo apud Albinum ea legitur⁷⁾. Sic saepius in his locis iteratis offeruntur nobis documenta ab Apuleio praeter compendium Graecum etiam Platonem ipsum adhibitum esse. Anima corporis domina appellatur cum Albino: ψυχὴν δεσπόουσάν αὐτοῦ (sc. τοῦ σώματος)⁸⁾. In trium vero animae partium descriptione Platonem potius sequitur ducem quam Albinum, sed ita, ut nullius verba verbis Latinis reddat. Nihilominus verborum comparatio accurata et hic non est sine emolumento. Iam si de irascentia apud Platonem legimus: τὸ... φιλόνηκον... κτώμεσιν ἐγγυτέρω τῆς κεφαλῆς... ἵνα τοῦ λόγου κατήκοον ὄν κ. τ. λ.⁹⁾, videmus in Apulei narratione ante „procul“ haud excidisse et legendum esse: „irascentiam vero <haud> procul a ratione ad domicilium cordis deductam esse, obsequi<o>que¹⁰⁾ eam in loco respondere sapientiae“. „In loco“ pro „illico“ positum esse, „respondere“ notione oboediendi usurpatum, patet. Ex ipsius autem ingenio Apuleius ventrem popinam et latrinae latebram appellavit diversoriumque nequitiae atque luxuriae¹¹⁾. Ea, quae sequuntur, rursus levimendo laborant: nam pro „vicinitas et“¹²⁾ vicinitate legendum esse ex comparatione Platonis elucet, qui haec scripsit: ὅτι πορρωτάτω τοῦ βουλευομένου κατοικοῦν... τὸ κράτιστον καὶ ἡσυχίαν περὶ τοῦ

¹⁾ p. 73, 7. ²⁾ c. 17. ³⁾ c. 18, 19. ⁴⁾ c. 23 — 26. ⁵⁾ Tim. 69 D — 91 B. ⁶⁾ p. 79, 6. ⁷⁾ c. 24 p. 32. ⁸⁾ p. 29, 5. ⁹⁾ Tim. p. 70 A.

¹⁰⁾ iam patet, quam inepte Goldbacherus hoc loco et induxerit, quod in mss. deest.

¹¹⁾ p. 75, 4. ¹²⁾ ib. v. 7.

πᾶσι κοινῇ ζυμψέροντος ἐφ' βουλευέσθαι¹⁾: „relegatam... longius a sapientia hanc partem videri, ne importuna vicinitate rationem consulturam desuper cunctorum saluti in ipsa cogitationum utilitate turbaret“. Eadem comparatio docet, quam vera sit Salmasii coniectura „consulturam“ scribentis pro codicum lectione „consumptam“.

Tribus animae partibus earumque sedibus commemoratis primae partis sedem pluribus describit Apuleius totumque hominem in capite vultuque esse dicit, cui cetera membra subserviant²⁾: τοῦτο δ' ὧν κεφαλὴν ἐπονομάζομεν, ὃ θειότατόν τε ἐστὶ καὶ τῶν ἐν ἡμῖν πάντων δεσποτοῦν ᾧ καὶ πᾶν τὸ σῶμα παρέδοσαν ὑπηρεσίαν³⁾. Platonicae narrationis tenorem interruptit Apuleius sententia: „nam prudentiam sensusque omnis non alias, quam illa parte corporis contineri“, quae his Albinus respondet: ἐν κεφαλῇ... καὶ τὸ λογιστικόν καὶ τὸ κριτικόν τε καὶ θεωροῦν⁴⁾. Etiam quae de membris narrantur cibis administrantibus Albiniana sunt: διοικεῖται καὶ τὰ στήθια⁵⁾. Cetera ex Platone pendent: *membra* vectare.. sublime positum *caput*: ὄχημα αὐτῶ... καὶ εὐπορίαν ἐδωσαν... φέρον οἰκησιν ἐπ' ἄνωθεν ἡμῶν⁶⁾. Subiungit Plato sententiam capiti faciem datam esse et in facie universae animi prudentiae instrumenta (ὄργανα... πάση τῇ τῆς ψυχῆς προνοίᾳ⁷⁾. Apuleius, qui modo⁸⁾ ex Albino eandem expressit sententiam, hoc loco rursus eam e Platone repetit, cum dicit: „sed et machinamenta, quibus ad sentiendas et diiudicandas qualitates sensus instructi sunt, ibidem... constituta esse“⁹⁾. Nota hunc Apulei errorem, qui illa machinamenta, quae a sensibus plane non sunt diversa, non animae, sed sensibus adscripsit. Fortasse Albinus eum confuderunt verba, qui dixit: περὶ δὲ τὸ πρόσωπον ἐθεσαν τὰ τῶν αἰσθητηρίων ὄργανα¹⁰⁾.

De sensuum cognatione quadam cum eis, quae sensibus percipiuntur, narrat Plato, cum oculos describens dicit: τὸ τε ἐκπίπτον ὁμοιον πρὸς ὁμοιον... ἐν σῶμα οἰκισθὲν συνέστη... ὁμοιοπαθεῖς δὴ δι' ὁμοιότητα πᾶν γινόμενον¹¹⁾. Quam sententiam Albinus ita expressit, ut scriberet: ὃ γινόμενον συμπαθεῖ τῶ ἐξῶθεν, ὁμοιον ὁμοίῳ, ὀργανικὴν αἰσθησιν παρέχεται¹²⁾. Inde Apuleius sua conflat et ad reliquos etiam sensus transtulit¹³⁾, in singulorum sensuum proprietate definienda Albinum¹⁴⁾ secutus. Sola olfactus descriptio ad Platonem¹⁵⁾ propius accedit. Hic enim dixit odorem existere non solere, nisi cum aliquid madefit

¹⁾ Tim. 70 E. ²⁾ p. 75, 9. ³⁾ Tim. 44 D. ⁴⁾ p. 29, 9. ⁵⁾ p. 28 extr. ⁶⁾ Tim. 44 E. ⁷⁾ Tim. 45 A. ⁸⁾ p. 75, 9 sq. ⁹⁾ ib. v. 14. ¹⁰⁾ c. 17, p. 28, 22. ¹¹⁾ Tim. 45 C. ¹²⁾ p. 29, 19 sq. ¹³⁾ p. 75, 19 — 25. ¹⁴⁾ c. 18 in. 19 in. cf. p. 30, 17 γεῦσις; ib. v. 32 ἀπακλή. ¹⁵⁾ Tim. 66 D.

vel putrefit vel liquefit vel suffitur, transeunte aqua in aërem et aëre in aquam. Hinc Apuleius odorem eorum esse dicit „quae corrupta mutantur“ idemque exprimit verbis: „conversiones... mutationesque odoratus causas dare easque de corruptis (σηπομένων) vel adustis (θυμωμένων) vel mitescensibus (τηχομένων)¹⁾ vel madefactis (βρεχόμενων) sentiri“. Cetera pessime a Goldbachero tractata sunt, qui pro codicum lectione genuina vel sua vel aliorum posuit inventa: In codicibus haec leguntur: „cum quidem ea quaeruntur vapore vel fumo exhalantur odore viis iudicium sensusque succedunt“. Arcissime haec cum praecedentibus cohaerent et ad corpora pertinent corrupta, quae cum vapore vel fumo exhalantur, odoris viis incidunt sensusque succedunt. Nam pro „quaeruntur“ — quae cum scribendum esse contendo, pro „iudicium“ incidunt pono, quo verbo etiam in Apologia (15) Apuleius usus est eodem modo „radii... cum alicui corpori inciderunt..., paribus angulis, quibus inciderant, resultant“. Nemo enim affirmabit odores primum ad animi iudicium venire, tum sensus succedere. Agitur de ipsa via, qua illi in nares veniunt. Itaque odoris viae nominantur sine ulla quidem explicatione, cum supra de narium bifori via satis disputatum sit. Et nostrae quidem coniecturae ut sensui satisfaciunt, ita a codicum lectione haud longe recedunt. Iam conferas eas cum Lipsii emendatione haec scribentis: „ea, quae uruntur vapore vel fumo exalato odoris in viis iudicium sensusque succedunt“, vel cum Koziolii tentaminibus: „ea, quae vaporem vel fumum exhalant, tum odoribus his iudicium cet“, ut cognoscas, quam male viri docti sententiae sensum perceperint. In insequentibus felicior fuit Goldbacherus, qui „resistent“ in res<si>stent mutavit et Parisinum secutus integrae scripsit. Sed et hoc loco interpunctionem falsam posuit et ex codicum lectione „auras“ auras perperam restituit. Hic est enim sensus: res corruptae odore sensus inficiunt: at res si stent integrae et aër purus, nunquam eiusmodi aurā inficiunt eos. „Aura“ Krollii est optima emendatio iam in Thesaurum l. l. accepta.

Sensuum humanorum laudes²⁾ e Platonis Timaeo (46 D — 47 E) maxima ex parte desumptae sunt. Sed visum philosophiae fontem Plato nusquam appellavit, qui e contrario dixit mentis et

¹⁾ apparet, quam supervacanea sit Rohdii coniectura „illiquescensibus“ scribentis. ²⁾ p. 76, 9 — 24.

scientiae amatorem intelligentis naturae causas primas indagare oportere, qua in re anima agat, oculi nonnisi eam adiuvent¹⁾. Etiam quae de auditu narrantur Platonis²⁾ sunt: linguae, dentium, osculorum laudes, a sensibus alienae, Apuleium ipsum redolent. Qui cum semel sibi fisus sit, ea, quae supra³⁾ de membris capiti servientibus narravit, repetit et omni ordine neglecto exempli gratia pedes et humeros et supercilia nominat⁴⁾. Res per se inepta ineptior fit lectione falsa. Quid est enim: „pedes denique humerorum tenuis capiti oboediunt“? Potest quidem dici „pedes genuum tenuis“, sed nullo modo humeri ad pedes referendi sunt. Voluit dicere omnia a pedibus usque ad humeros capiti oboedire. Quae cum ita sint, pro „denique“ omniaque legendum esse puto.

Sequitur disputatio de visceribus⁵⁾, scilicet de pulmonibus, iecinoreque et liene, quam Plato⁶⁾ et post hunc Albinus⁷⁾ ibi posuerunt, ubi de animae partium collocatione verba fecerunt. Apuleius vero tam temere hic ea prosecutus est, ut et corde omisso et iecinoris indole prorsus neglecta, nihilominus scripserit lienem iecinoris esse finitimum, ut sordes eius abstergeat; quae tum demum intelleguntur, cum scimus iecur leve et splendidum esse oportere, ut in eo mentis cogitationes velut in speculo reddantur. Pulmonum officium secundum Platonem describitur⁸⁾, et hic demum cordis tumor ira effectus commemoratur. Et cum Plato de pulmone potum accipiente (τὸ πύμα δεχομένη) narraverit⁹⁾, Apuleius sitim eius commemoravit. Simili modo cum apud illum lien exsanguis sordes iecinoris excipere et repletus intumescere¹⁰⁾ dictus sit, hic lienem participatis haustibus iecinoris redundantiam relevare asseruit. Sed ne putes Apuleio haec omnia clara atque perspecta fuisse, ipse vetuit, cum iecur purum fibris maxime commodum esse addidit. Alium enim eius rei finem esse supra diximus. Ventris condicio¹¹⁾, ossium ligaturae¹²⁾, capitis tegmen¹³⁾ secundum Platonem descripta sunt; nec minus in sanguinis itinere definiendo et anhelandi facultate enarranda¹⁴⁾ eiusdem verba redduntur¹⁵⁾. Ipse Apuleius venarum mentioni genitalium adiunxit rationem¹⁶⁾, qua in ex-

¹⁾ Tim. 46 DE. ²⁾ ib. 47 C. ³⁾ p. 75, 11. ⁴⁾ p. 77, 4. ⁵⁾ p. 77, 6 — 19. ⁶⁾ Tim. 70 B — 72 D. ⁷⁾ c. 23 p. 32. ⁸⁾ Tim. 70 CD. ⁹⁾ ibid. ¹⁰⁾ ib. 72 C. ¹¹⁾ p. 77, 13 cf. Tim. 73 A. ¹²⁾ Tim. 73 B. ¹³⁾ Tim. 75 E. 76 D. ¹⁴⁾ p. 78, 6 — 14. ¹⁵⁾ Tim. 77 C — 78 E. ¹⁶⁾ p. 78, 15 — 17.

plicanda multa laborat obscuritate. Plato enim urinae via descripta eodem foramen quoddam decurri dicit, quod ex capite secundum cervicem et per spinam compactam semen ducat, quod generandi cupiditate effluens amorem absolvat¹⁾. Apuleius, cum semen per medullas renum commeare dicit, confundit hanc viam cum via urinae. Causa seminis eiaculandi in his continetur: „et rursum venale“ vel „venarum“, quod Krollius non sine probabilitate in „cursu venarum“ mutavit, cum venae apud Platonem ἐκροῆς ζωτικῆν ἐπιθυμίαν²⁾ habeant.

Maior est Apulei confusio in morborum causis explanandis. In hac enim re tractanda Plato primum quattuor respexit genera, ex quibus corpus constat et in eorum turbationibus primam posuit morborum causam³⁾; in secundis compositionibus, quae sunt medullae, ossium, carnis, nervorum, sanguinis, aliorum alteram causam collocavit⁴⁾; tertiam vero in spiritu, pituita et bili conspexit⁵⁾. His naturalem praemisit causam mortis, senectutem, cuius indolem cum nutriendi ratione composuit⁶⁾. Et eam Platonis de morbis doctrinam breviter, sed fideliter Albinus comprehendit⁷⁾. At Apuleius quattuor illa genera (γένη), ex quibus Plato corpus constare dixit ita interpretatus est, ut tria morborum, ut ita dicam, stramenta Platonica tres corporis nuncupaverit substantias primaeque elementa adnumeraverit, alteri viscera, ossa, cruorem, tertiae corporis membra. Et a secunda sua substantia initium capiens primum huc Platonis doctrinam de sanguine intulit, corporis altore⁸⁾, tum elementorum commemoratione oppressa permixtionem eorum exitii causam ostendit, denique narrationis tenore morbis animi interrupto, rursus ad nutritum accessit⁹⁾ et de novo animalis exitium descripsit. Et cum altero loco verba nonnulla exciderint, facile ea quidem ex superioribus¹⁰⁾ suppleri possunt ita, ut legatur: verum enimvero tunc exitium eo <m>po<sitione eorum dissoluta venit>. Locutus est enim antea de artubus ac membris fame extenuatis; illorum concordantia seu compositione valetudinem effici, dissolutione mortem. Sed non corporis exitium venit, ut supplent editores, verum animalis.

Post corporis morbos Plato animae morbos explicat¹¹⁾, quo-

¹⁾ Tim. 91 AB. ²⁾ ib. 91 B. ³⁾ Tim. 82 A. ⁴⁾ ib. 82 C. ⁵⁾ ib. 84 D. ⁶⁾ ib. 81 E. ⁷⁾ c. 22. ⁸⁾ Tim 81 A sqq. ⁹⁾ p. 80, 5 — 13. ¹⁰⁾ p. 79, 4. ¹¹⁾ Tim. p. 86 B.

rum descriptionem Albinus ab animae incipit tripertita condicione et singularum partium concordia vel perturbatione describenda¹⁾. Eius verba Apuleius imitando exprimit, sed mox Platoniam adiungit morbi animae definitionem²⁾ et duobus eius generibus commemoratis, scilicet imperitia atque insania, imperitiae definitionem ipse fingit, insaniae proprietates ex eis conflat, quae Plato de cupidine venerea narravit³⁾. Platoni etiam doctrinam debet, qua insania corporis qualitate vitiosa efficitur⁴⁾, sanitas vero in concordantia quadam corporis et animi constare⁵⁾.

Iam ex his vides Apuleio idem Platonicae doctrinae compendium in manibus fuisse, quod ab Albino in brevem summam contractum est. Nonnulla, quae apud Albinum desint, in Apuleio legantur cum Platone communia, illi compendio, quod multo uberius fuerit, quam Albini libellus, deberi. Sed etiam Platonis Timaeum, fortasse etiam Rempubicam, Leges, Convivium, Politicum ab eo inspecta esse videri. Certe Timaeum saepius ita adhibitum esse, ut verba eius Latine redderentur, quamquam sententia iam antea secundum Albini exemplar expressa esset. Quae iterationes, nec minus multa perperam intellecta e. gr. binae cognitionis rationes, morborum causae, ne alia dicamus, plane demonstrant Platonis philosophiam ab Apuleio minime intellectam esse. Nam qui a Professore Kawczyński laudatur (l. l. p. 2) optimus placitorum delectus non Apulei est, immo exemplaris Graeci.

Albini libellus si ad nostra non pervenisset tempora, nihilominus totam fere philosophiam naturalem Apulei e Timaeo Platonis explicare possemus. Aliter in philosophia morali illustranda res se habet. In hac enim parte cum plura Platonis opera quodammodo excerpta et consarcinata sint non paucis ex alienis hortulis decerpitis et huc illatis, diversi fontes nulla ratione inter se cohaerentes cum H. Kleistio adeundi nobis essent et ignotus quidam auctor fingendus, quem nos quidem ex Albino novimus. Qui doctrina de anima⁶⁾ et libero arbitrio⁷⁾ absoluta, quae Platoni de moribus placuerint breviter perstringit ita, ut a bonorum enumeratione initium capiat, et secundum varios dialogos varias proponat bonorum divisiones⁸⁾. Quam rem Apuleius nimis confuse tractat nulla via nec ratione observata⁹⁾. Et primum quidem moralis philo-

¹⁾ c. 24. ²⁾ Tim. 86 B. ³⁾ ib. CD. ⁴⁾ ib. E. ⁵⁾ ib. 87 DE.
⁶⁾ c. 23 — 25. ⁷⁾ c. 26. ⁸⁾ c. 27. ⁹⁾ p. 80, 14 — 82, 5.

sophiae caput in scientia ponit, quibus rationibus ad vitam beatam perveniatur. Ab ea vero sententia ad bonorum enumerationem ita transit, ut dicat: „verum ut beatitudinem bonorum fine ante alia <cognito> contingere t<e scias>, ostendam, quae de hoc Plato senserit“. Itaque prima bona, quae per se sint, deum summum mentemque esse contendit, qua in re haud longe ab Albino discessit, qui nostrum bonum primum in contemplatione primi boni posuit, ὅπερ θεόν τε καὶ νοῦν τὸν πρῶτον προσαγορεύει ἂν τις ¹⁾.

Horum participatione quadam (κατὰ μετουσίαν) ²⁾ humana, quae dicuntur, bona constare, sanitatem, formam, robur, divitias similia, quae tamen non nisi cum virtute bona sint ³⁾; virtutemque ipsam ad beatitudinem sufficere ⁴⁾. Eodem modo Apuleius secunda bona per perceptionem fieri dicit et ex priorum fonte profluere, sed non nisi virtutes inter ea ponit, quarum prudentiam, iustitiam, pudicitiam, fortitudinem enumerat et ordinem earum atque aestimationem secundum Platonem ⁵⁾ constituit. Altera bonorum divisio in divina et humana respondet alteri Albinianae: διττὰ δὲ ἀγαθὰ ἐστὶ, τὰ μὲν ἀνθρώπων, τὰ δὲ θεῶν ⁶⁾. Et divina quidem bona eadem sunt, quae in prima divisione e summo bono profluere dicta sunt, scilicet virtutes; humana ea, quae post summum bonum Albinus protulit, corporis bona. Etiam quae de sapientibus et stolidis vario modo bonis externis utentibus narrat Apuleius, eodem loco fusius ab Albino disputata sunt ⁷⁾. Et rursus ad Albini primum bonum ⁸⁾ redit Apuleius, quod non omnes adipisci queant, cum solae rationabiles mentes natura duce eius pulchritudinem appetant. Rationabiles mentes sunt φιλόσοφοι ψυχῆς Albini ⁹⁾, natura dux coorta est per malam interpretationem: philosophorum animos interno quodam oculo ad omnem naturam, quae ratione praedita est (τῆς τοῦ λογικοῦ παντός φύσεως) ¹⁰⁾, pervenire posse. Sed ne secunda quidem bona communia multis, neque ¹¹⁾ omnibus similia esse dicit, repetens ea, quae modo de sapientibus et stolidis protulerat. Quae iteratio ducta est eo, quod etiam Albinus in fine capitula ea, quae habentur bona, enumerat utpote quae felicem non reddant possessorem ¹²⁾.

Bonorum generibus distinctis de fine bonorum disputat Albi-

¹⁾ p. 35, 36 sq. ²⁾ p. 36, 4 cf. ib. v. 37 κατὰ μετοχήν. ³⁾ p. 36, 1—11. ⁴⁾ ib. v. 35. ⁵⁾ Legg. 611 CD. ⁶⁾ p. 37, 1. ⁷⁾ p. 36, 13 — 33.

⁸⁾ p. 35, 33 sqq. πάντα γούν ἄλλοις τῶν γνωρίμων... τῆς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ ἀκρωδύσεως μετέδωκε. ⁹⁾ p. 36, 16. ¹⁰⁾ ib. v. 23. ¹¹⁾ sic legendum est pro „nec quod“ codicum. ¹²⁾ p. 37, 14.

nus¹⁾, quem in dei similitudine conspicit deumque sēqui (θεῶ... ἐπεσθῆναι)²⁾ iubet homines. At Apuleius illa re neglecta viri boni partes in hominum societate definit ita, ut dicat, eum non modo sibimet uni natum³⁾, sed omnibus etiam hominibus, nec pari aut simili modo, verum etiam <apud> bonum quemque⁴⁾ acceptum esse, dehinc proximis et mox ceteris, qui familiari usu vel notitia iungantur. Neminem fugere potest hunc locum communem de Stoicorum sapiente ad bonorum enumerationem minime pertinere et confictum esse ad exemplar eorum falsi Platonis ad Archytam⁵⁾, quae iam Cicero Latine verterat⁶⁾. „Acceptum esse“ idem significat ac gratum et probatum esse. Volebant autem Stoici bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam viris⁷⁾.

Ad deum eum accedere posse docuit Albinus, qui convenientem et aptam nactus sit naturam, ad quam mores et educatio et sensus cum lege congruentes accedant, nec non ratio disciplinaque ac contemplandi a sapientibus tradita consuetudo. Ad quae corpus gymnastica, animum musica, arithmetica, astronomia, geometria praeparari⁸⁾. Nam institutione et moribus homines bonos fieri aut malos, non per se esse⁹⁾. Apuleius, quamquam hoc loco¹⁰⁾ de educatione agit, non tam Albini respicit doctrinam, quam Platonis, qui in Timaeo¹¹⁾ malo corporis habitu et educantium imperitia homines malos fieri contendit et curam corporis et animi vehementer commendavit. Tria ingeniorum genera Albino debet, qui in dialectica scripsit: ὡς ὅταν φῶμεν τῶν ἀνθρώπων τοὺς μὲν ἀγαθοὺς εἶναι, τοὺς δὲ κακοὺς, τοὺς δὲ μέσους¹²⁾. Generis medii commemoratio occasionem dat Apuleio ad medietates enumerandas, quae inter virtutes et vitia mediae positae sunt, ut inter scientiam <et inscientiam opinionem alteram>¹³⁾ validam, alteram falsam, inter pudentiam libidinosamque vitam abstinentiam et intemperantiam. Omnis haec doctrina Albini est, qui virtutes mediocritates (μεσότητας)¹⁴⁾ appellavit et circa singulas duo

¹⁾ c. 28. ²⁾ p. 37, 30. ³⁾ sic enim optime Rohde „intimatum“ codd. orrexit.

⁴⁾ sic parva mutatione codd. „unum quemque“ restituo.

⁵⁾ Ps-Plat. epist. IX p. 385 A ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὐτῷ μόνον γέγονεν κ. τ. λ.

⁶⁾ fin. 2, 45. ⁷⁾ cf. Cic. fin. 3, 57. Sen. dial. 8, 6, 4. ⁸⁾ p. 38, 2 sqq.

⁹⁾ p. 39, 7. ¹⁰⁾ p. 82, 6 — 17. ¹¹⁾ p. 86 E sq. ¹²⁾ p. 12, 36 sq.

¹³⁾ „inscientiam“ Vahlenus optime supplevit, „opinionem“ ego posui, cuius duo sunt genera: opinio valida (δόξα) et opinio falsa (ἀμάρτημα).

¹⁴⁾ p. 40, 13 sqq. cf. ibid. v. 29.

utrimque vitia (κακίαι) conspici dixit, quorum alterum excessu (καθ' ὑπερβολήν), alterum defectu (καθ' ἔνδεικν) peccet. Inter exempla ab eo prolata etiam ἀσωτία et φόβος nominantur. Itaque cum Apuleius malitiam abundantia inopiaque constare dicit, Albinum sequitur; sed in malitiae inconcinnitate describenda et in animae partium perturbatione commemoranda ad Platonem¹⁾ redit. Albiniana rursus sunt ea, quae de trium animae partium virtutibus et vitiis narrantur²⁾. Et ille³⁾ enim prudentiam indocilitati (φρόνησιν ἀμαθία) opponit, cuius duo novit genera: imperitiam (ἀμαθία) et fatuitatem (ἀφροσύνη)⁴⁾. Et ut Albinus eis animae partibus, quae ratione carent, affectus attribuit perturbationesque⁵⁾, ita Apuleius hoc loco de cupiditatibus etiam narravit.

Ita multum iam in virtutum descriptione versatus virtutem ipsam nondum definivit. Cuius definitio apud Albinum haec est: αὐτὴ μὲν ἐστὶ διάθεσις ψυχῆς τελεία καὶ βελτίστη, εὐσχήμονα καὶ σύμφωνον καὶ βέβαιον παρέχουσα τὸν ἄνθρωπον ἐν τῷ λέγειν καὶ πράττειν καθ' ἐξυτὸν καὶ πρὸς ἄλλους⁶⁾. Quam definitionem, Platoni prorsus ignotam, Apuleius ad verbum fere e Graeco exemplari vertit, cum dixit⁷⁾: „virtutem... habitum esse mentis optime et nobiliter figuratum (εὐσχήμονα), quae concordem sibi et quietum, constantem etiam eum facit, cui fuerit fideliter intima, non verbis modo, sed factis etiam secum et cum ceteris congruentem⁴⁾. Virtutis commemoratione ducitur is quidem rursus ad imaginem rationis supra cupiditates dominantis⁸⁾, quam iam in malitia describenda inversa ex parte depinxit⁹⁾. Nam et Albinus ad iustitiae vim definiendam eam denuo induxit, quae efficit, ut tres animae inter se conveniant partes ratioque imperet, reliquae vero partes pro sua proprietate singulae cohibeantur a ratione moremque illi gerant¹⁰⁾. In iustitiae loco Apuleius virtutem posuit, in reliquis fideliter Albinum secutus. Eius ἀντακολουθεῖν reddidit per hoc: „tranquillo ministerio fungantur⁴⁾. Quod autem de virtute scripsit unimoda, nihil indigente et secum congruente¹¹⁾, id a Platonis vere bono¹²⁾ huc transtulit. Hac virtutis concinnitate commemorata, repetit ea, quae supra¹³⁾ de medietatibus dixit ita, ut etiam aliam virtutum ponat definitionem,

¹⁾ Tim. 88 B sqq. ²⁾ p. 83, 12—20. ³⁾ c. 29. ⁴⁾ p. 39, 11 sq.
⁵⁾ p. 38, 17 sq. ⁶⁾ c. 29 in. ⁷⁾ p. 84, 4 sqq. ⁸⁾ ib. v. 8 sqq. ⁹⁾ p. 83, 4 sqq. ¹⁰⁾ p. 38 extr. ¹¹⁾ p. 84, 11 sqq. ¹²⁾ cf. e. g. Phileb. 20 D. Tim. 87 C. ¹³⁾ p. 82, 23 sqq.

qua eae summitates (ἀκρότητες)¹⁾ dicuntur. Et quod ibi de abundantia atque inopia dissseruerat, idem hic de redundantia et egestate protulit.

Nova quaedam virtutum divisio in perfectas imperfectasque²⁾ respondet Albini ἀρεταῖς τελείαις καὶ οὐ τελείαις³⁾. Et de illis quidem Albinus dixit eas neque crescere nec decrescere, has utrumque pati⁴⁾. Sed aliam quoque divisionem virtutum novit Albinus, scilicet virtutes principales (προηγούμεναι) et concomitantes (ἐπόμεναι)⁵⁾. Et quae his attribuit⁶⁾, ab Apuleio ad virtutes imperfectas relata sunt⁷⁾, quae honesta facere secundum rationem dicuntur, quam a prudentia accipiunt consuetudine atque exercitatione confirmata. In his quidem sola subiectorum permutatio conspicitur, mox confusio crescit. Nam cum Albinus malitias virtutibus opponens illas sese concomitari negaverit (οὐδὲ συνέπονται αἱ κακίαι ἀλλήλαις)⁸⁾, Apuleius imperfectas virtutes semet concomitari non posse dixit. Sententiam autem, qua virtutes perfectae invicem separari non posse dicuntur (ἀχώριστοι οὖν εἰσὶν αἱ ἀρεταὶ ἀλλήλων αἱ τέλειαι)⁹⁾ ita reddidit, ut eas individuas sibi et inter se connexas appellaret et pro argumentatione imperfectarum virtutum indolem perperam his adscriberet¹⁰⁾. Quattuor virtutes iam supra in bonis enumerandis ab eo laudatae et ordine quodam compositae sunt¹¹⁾. Res in trium animae partium vitiis describendis, quibus propriae virtutes impugnantur, repetita est¹²⁾. Nunc tertium eadem res secundum Albinum¹³⁾ tractatur. Et partis quidem rationalis propriam esse dicit prudentiam (φρόνησις), quae bonorum malorumque et quae media inter utraque sunt sapientia est (ἐπιστήμη ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ οὐδετέρων). Cuius sapientiae (σοφία) definitionem Albino debet scribenti: σοφία δὲ ἐστὶν ἐπιστήμη θεῶν τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων, ubi sane philosophiam ante oculos habet p. 8, 4. In irascendi potentia fortitudinem cum Albino¹⁴⁾ posuit eique nervos animae addidit ad ea implenda, quae nobis severius agenda legum imponuntur imperio¹⁵⁾. Nervi illi Reipublicae¹⁶⁾ debentur, legum imperium ortum est ex mala interpretatione verborum Albini: ἡ ἀνδρεία ἐστὶ δόγματος ἐννόμου σωτηρία... τουτέστι διωσωστικὴ δύναμις δόγματος ἐννόμου¹⁷⁾. Albino duce¹⁸⁾ tertiae

¹⁾ Alb. p. 40, 12 sq.: καίτοι γε ἀκρότητες αἱ ἀρεταὶ ὑπάρχουσι.

²⁾ p. 84, 21 sqq. ³⁾ p. 39, 20 sqq. ⁴⁾ p. 39, 20 sq. ⁵⁾ ib. v. 33.

sq. ⁶⁾ ib. 36 sqq. ⁷⁾ p. 84, 22 sq. ⁸⁾ p. 39, 22 sq. ⁹⁾ ib. v. 14.

¹⁰⁾ p. 85, 1—3. cf. p. 84, 22 sqq. ¹¹⁾ p. 81, 4 sq. ¹²⁾ p. 83, 13 sqq. ¹³⁾

p. 38, 16 sqq. ¹⁴⁾ p. 38, 18 sq. ¹⁵⁾ p. 85, 10 sq. ¹⁶⁾ III. 411 B. ¹⁷⁾

p. 39, 3 sqq. ¹⁸⁾ p. 38, 23 sq.

parti abstinentiam (σωφροσύνη) comitem addit, cuius officia ex Albini iustitia desumpta sunt. Nam ut per hanc singulae animae partes inter se convenire dicuntur (καθ' ἣν [sc. δικαιοσύνην] ὁμολογεῖ καὶ συμφωνεῖ πρὸς ἄλληλα τὰ τρία μέρη τῆς ψυχῆς¹⁾), ita abstinentia servatrix convenientiae eorum ab Apuleio appellatur, quae natura recta pravaque sunt in homine. Σωφροσύνης Albinianae praedicamenta: τάξις περὶ τὰς ἐπιθυμίας καὶ τὰς ὀρέξεις καὶ τὴν εὐπείθειαν αὐτῶν πρὸς τὸ ἡγεμονικόν²⁾ placentiae cuidam atque mediocritati attribuntur, ad quam „libido flectitur actusque voluptarios ratione huius di<sc>cit³⁾, ac modestia coërcere. Iustitiae definitio gravi mendo laborat, quod tamen Albini ope tolli quit: „per has tres animae partes quartam virtutem, iustitiam, aequaliter dividentem se scientiamque — causam esse dicit, ut unaquaque propria ratione ac modo ad fungendum munus oboediat“. Pro codicum lectione „potiore“ si propria legimus, Albinum sequimur dicentem: τῶν... λοιπῶν μερῶν τῆς ψυχῆς κατ' οἰκείαν ἰδιότητα κατεσταλμένων ὑπὸ τοῦ λογισμοῦ καὶ πειθηνίων αὐτῶ⁴⁾. Iustitia vero non modo se ipsam dividit, id est distribuit per tres animae partes, sed etiam scientiam, cum iustitia eadem ac sapientia sit. Ceterae iustitiae appellationes⁵⁾ explicandae sunt ex Platone, qui (Legg. I 630 C) dixit: ἔστι δέ, ὧς φησι Θεογονίαι, αὕτη (sc. μεγίστη ἀρετή) πιστότης ἐν τοῖς δεινοῖς, ἣν τις δικαιοσύνην ἀντελείπειν ὀνομάσειεν. Quod autem iustitiae religiositas (ὁσιότης) adiuncta est, id secundum Platonem fieri potuit, qui eodem modo in Protagora (330 B) illi eam adiunxit. Iustitiae tria distinguuntur genera⁶⁾: iustitia in semet ipsum, quae cum ei, a quo⁷⁾ possidetur, utilis sit, benivolentia appellatur; iustitia in deum, i. e. religiositas; iustitia in alios sive iustitia civilis. Sic officiorum vulgaris divisio in ea, quae ad nosmet ipsos pertinent quaeque ad alios et ad deum, in iustitiam ab Apuleio translata est. Sed et civilis iustitiae duae discernuntur species⁸⁾: iustitia et fides, ut ita dicam, mercatoria et iustitia publica, qua optimi agri et summi honores bonis deferuntur. Lectionem codicum „bonis optimis optior“ iam Hildebrandius facillima mutatione in „bonis optima portio“ correxit, quem

¹⁾ ib. v. 34 sq. ²⁾ ib. v. 25.

³⁾ sic enim scribo pro codd. „dicit“, libidinem pro subiecto sumens: sequitur, ut etiam inf. act. restituatur.

⁴⁾ p. 39, 1 sq. ⁵⁾ p. 85, 20 sqq. ⁶⁾ p. 85, 22 sq. ⁷⁾ sic enim legendum est cum cod. Florentino pro „quod“ aliorum mss. ⁸⁾ p. 86, 3 — 11.

sequi debuit Goldbacherus neque crassa Minerva aliam medelam quaerere. Optimis regnum deberi Platonis est sententia¹⁾ mox ab Apuleio repetenda.

In honoribus distribuendis vir politicus maximi est momenti, ad quem capituli VII ultima sententia pertinet, cum editorum capite VIII arctissime cohaerens. Sufficiat unum exemplum pro multis, quibus demonstrari potest, quam vana sit ea, quae in editionibus legitur, capituli distributio. Hic est enim in hac parte sententiarum nexus: Iustitia efflagitat, ut optimi regna teneant. Qui ita honores distribuit, omnibus prodest. Et facile id obtinet, si ad divinum et caeleste exemplar respicit²⁾. At qui exemplar indignum atque instabile ante oculos habet, pessimus est politicus. — Patet Apulei verba sana esse nulloque mendo laborare. Nam etiam constructio: „aversus a recta vivendi ratione facultates suas“ tolerari potest. Res sane clarior esset, si pro indefinito quodam exemplo Apuleius civitatem posuisset. Sed et ita civitatis exemplum subaudiendum est. Iam expectamus, ut de bono et malo viro civili plura narrentur. Et re vera haec statim ab Apuleio ex Gorgia exscribuntur ita, ut pro politico, quem desideramus, rhetor ponatur. Rhetoricae quidem iustae definitio ex totius Gorgiae argumentatione prodiit, iniustae vero descriptio pendet ex his: καλῶ δ' αὐτοῦ ἐγὼ τὸ κεφάλαιον κολακείαν³⁾. οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἐμπειρία καὶ τριβή· ἡ ῥητορικὴ... πειθοῦς δημιουργός ἐστι πιστευτικῆς⁴⁾ Sed ἄλογος τριβή nusquam a Platone rhetorica nuncupata est. In Phaedro⁵⁾ enim haec de ea leguntur: οὐκ ἔστι τέχνη, ἀλλ' ἄτεχνος τριβή; in Gorgia autem: ἀλόγως τε παντάπασιν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, οὐδὲν διακριθεῖσα, τριβή καὶ ἐμπειρία. Horum locorum contaminatione effecta est in Apulei Graeco exemplari: ἄλογος τριβή. Etiam quae mox ex Platone laudatur alia rhetoricae definitio: eam esse δύναμιν τοῦ πείθειν ἄνευ τοῦ διδάσκειν non Platonis est, sed magistri Platonici haec Platonis respicientis⁷⁾: ῥήτορα οὐκοῦν περὶ πάντων, ὥστ' ἐν ὄλῳ πιθάνων εἶναι, οὐ διδάσκοντα ἀλλὰ πείθοντα. Et nullo tenore restituto adiungit aliam definitionem „civilis<ta> articuli esse umbram“. Quod pro codicum „civilis“ optime „civilitatis“ ex Ammiano⁸⁾ restituit Krollius, docent, quae mox adiungit Apuleius: „civilitatem (πολιτικὴν) ita vult a nobis intellegi cet“. Po-

¹⁾ rp. III 413 E sqq. ²⁾ rp. VI 500 E τῷ θεῷ παραδείγματι χρώμενοι

³⁾ Gorg. 463 B. ⁴⁾ ib. 454 E. ⁵⁾ 260 E. ⁶⁾ 501 A. ⁷⁾ Gorg. 458 E.

⁸⁾ 30, 4, 3.

litici providentia¹⁾ debetur Platonis Politico²⁾, qui etiam artis civilis finem in beato civitatis statu posuit³⁾. Quae vero de civilitate disputantur legali (νομοθετική), quae corporis exercitationi (γυμναστική) similis est et iuridiciali (δικαστική) medicinae (ιατρική) par; item quae de adulandi scientia proferuntur (κολακευτική), quae dividitur in sophisticam et professionem iuris, ea Platonis sunt ex Gorgia 464 B—465 D. Inter quae ea quidem, quae de sophistica et iuris professione in codicibus leguntur, male a Goldbachero intellecta et perperam edita sunt. Sic est enim cum libris manu scriptis legendum⁴⁾: „sed <et> artem sophisticam professionemque iuris blandas (sc. esse) et adsentationum illecebris-turpes profitentibus, inutiles cunctis“.

Is excursus de arte civili, iustitiae commemoratione ductus, narrationi de quattuor virtutibus ab Apuleio adfixus est. Quo absoluto ad virtutes redit Apuleius et ad Albinum ducem. Et quod supra⁵⁾ confuse de perfectis et imperfectis docuit virtutibus, quarum illae ingenio et disciplina parantur, idem nunc repetit⁶⁾. Itaque falso parti rationali praeter prudentiam (φρόνησις) etiam sapientiam (ἐπιστήμη) adiungit, cum Albino⁷⁾ autem recte parti irrationali fortitudinem et continentiam (ἀνδρεία καὶ σωφροσύνη) attribuit. Obscura est tota distinctio in disciplinas et virtutes. De qua re haec Albinus docuit⁸⁾: ἐπεὶ οὔτε ἐπιστήμη οὔτε τέχνη ἐν ἄλλω μέρει τῆς ψυχῆς συνίσταται ἢ ἐν μόνῳ τῷ λογιστικῷ, αἱ μὲν περὶ τὸ παθητικὸν ἀρεταὶ οὐχ ὑπάρχουσι διδασκταί, ὅτι μήτε τέχναι μήτε ἐπιστήμαί εἰσιν· οὐδὲ γὰρ ἴδιον θεώρημα ἔχουσιν· ἢ μέντοι φρόνησις, ἐπιστήμη ὑπάρχουσα, τὰ οικεῖα ἐκάστη ἐνδίδωσιν. Ergo fortitudo et continentia non sunt disciplinae. Sic autem totus locus legendus et interpungendus est: „virtutes eas doceri et studeri posse arbitrabatur, quae ad rationabilem animum pertinent, id est sapientiam et prudentiam. Et illas, quae vitiosis partibus pro remedio resistunt, id est fortitudinem et continentiam, rationabiles quidem esse, <s>ed superiores virtutes pro disciplinis haberi, ceteras, si perfectae sunt, virtutes appellat,

¹⁾ sic locus restituendus est: non solum agentem <providentiam prodesse civilibus rebus> atque in ipsis administrationibus rerum spectari ab ea universa et discerni, [huc irrepserunt ea quae in uncis <> scriptimus], sed omnem sensum eius cet. ²⁾ 275 E τὸ... θεραπεύειν που πᾶσι κοινόν... ἀλλ' ἢ τιν'... θεραπευτικὴν ἢ καὶ τιν' ἐπιμελητικὴν αὐτὴν ὀνομάσασιν. ³⁾ rp. IV 419 A. ⁴⁾ p. 87, 16 sq. „sed et“ habet unus Parisinus, „blandas“ est Krollii optima emendatio, codicum „illecebris“ equidem restitui. ⁵⁾ p. 84, 21 sqq. ⁶⁾ p. 88, 2—11. ⁷⁾ p. 38, 18 sq. ⁸⁾ p. 40, 1—6.

si semiperfectae sunt, non illas quidem disciplinas vocandas esse censet, sed nec in totum existimat disciplinis alienas⁴. Iustitiam vero quamquam supra¹) late tractavit, nunc²) de novo eadem profert et partim virtutis partim disciplinae proprietates in ea detegit.

Re de virtutibus ediscendis absoluta ad doctrinam bonorum reddit³) et ex Republica II 357 B — D docet bonorum quaedam sui gratia appetenda esse, ut beatitudinem, bonum gaudium (ὄϊον τὸ χαίρειν καὶ αἰ ἡδοναί, ὅσαι ἀβλαβεῖς); alia non sui gratia, ut medicinam (τὸ κάμνοντα ἰατρῆσθαι καὶ ἰατρῆσεις), alia et sui et alterius, id est beatitudinis, ut virtutes. Bonorum ordo Platonius in paucis ab hoc recedit: Is enim secundo loco ea, quae et ipsa per se et propter ea, quae ab eis fluunt, expetuntur, posuit, ut sapere, videre, valere. Et illa quidem absolute (ἀπλῶς)⁴) bona nominavit, haec nos relativa nominare possumus, quo in genere etiam iustitia enumeratur. Exempla ab Apuleio prolata magis ad Albinum⁵) accedunt, qui eodem modo vires, valetudinem, divitias protulit. Eodem pacto mala quoque dividuntur, scilicet in absoluta et relativa. Cum virtutem absolute bonum dixerit, peccata absolute malum⁶), in utrumque Albino duce⁷) inquirit⁸). Qui cum virtutem ἀδέσποτον cum Platone⁹) nominaverit et ἐκούσιον et εἴτι ἄλλο ἐφ' ἡμῖν ἐστὶ... καὶ ἡ ἀρετὴ τοιοῦτον ὑπάρχει, Apuleius eam „liberam et in nobis sitam et nobis voluntate appetendam“ dixit. Simili modo peccata non voluntate suscipi (τὸ τὴν κακίαν ἀκούσιον ὑπάρχειν)¹⁰) pronuntiavit. Etiam reliqua huc pertinentia cum Albino ei communia sunt, cuius verba πάντως ὁ τοιοῦτος ἐξηπάτηται¹¹) iniuste a C. F. Hermanno uncis quadratis inclusa esse docet Apuleius scribens: „deceptus errore“¹²). De hoc errore in malis eligendis, cum potiora praesto sint, pluribus disputat Apuleius¹³) non oblitus eorum, quae in Protagora¹⁴) de morborum et paupertatis aestimatione dicta sunt. Etiam hac in parte Apulei verba male a Goldbachero tractata correctione egent. Is quidem sine necessitate codicum lectionem: „quid pauperiem ac divitias intersit“ temptavit, falsam lectionem „corporum“ intactam reliquit, cum ex Albini σώματος ὑγεία corporis sanitas restituenda sit, qua accepta illud „ceteraque eius bona extraria“ habet quo referatur, ut et alterum „eius usum“, nisi hoc loco „eius modi“ potius le-

¹) p. 85, 17 sqq. ²) p. 88, 9 sqq. ³) p. 88, 12 — 25 cf. p. 81. ⁴) Alb. p. 43, 2. ⁵) p. 37, 14 ὄϊον πλοῦτον... καὶ σώματος ὑγείαν καὶ εὐρωστίαν...
⁶) p. 88, 22. 27. ⁷) c. 31. ⁸) p. 88, 29 sqq. ⁹) rp. X, 617 E. ¹⁰) Alb. p. 40, 36. ¹¹) p. 41, 3. ¹²) p. 89, 6. ¹³) ib. v. 7 sqq. ¹⁴) 354 sqq.

gendum est. In reliquis ea, quae in libris manuscriptis traduntur, artius premenda sunt, quam adhuc fiebat: Fortunae commoda ad malas artes conversa noxia videbuntur, „vitiisque erit, qui ea possidet, haberi haec etiam obit“, quae ita restituo: <di>vitiiasque e[r]i[t], qui ea <s> possidet, habere [haec] etiam ob<er>it. In lacuna post „quae sunt“ facile „vulgo mala“ suppletur (ex p. 88, 28), in altera lacuna „mala non“. Albinus τὰ λεγόμενα καὶ... οἷον ἀτιμίαι καὶ φυγαὶ καὶ θάνατοι, quae eis, quae νομιζόμενα ἀγαθὰ sunt opponuntur, ut divitiae, imperium ¹⁾, docent in uberiori illo exemplari etiam pauperiei laudes locum habere potuisse, quae quidem ab Apuleio proferuntur ²⁾. Earum similitudinem cum eis, quae fusius in Apologia Apulei explanantur ³⁾ hic tantummodo commemoratam esse volumus. De homine, qui recte pauperie sua utitur, haec leguntur in mss.: „ad tollenda cetera meliora cum (tum *al.*) praestantior fiet“, quibus in verbis iam priores editores „melior atque praestantior“ restituerunt. Ad sententiam illustrandam faciunt haec Apologiae ⁴⁾: „prorsus ad vivendum velut ad natandum is melior, qui onere liberior“. Bonae voluptatis descriptio pendet ex Albinus his: οἷον τὴν τε εὐφροσύνην τὴν ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς καὶ τὰς ἐν ταῖς ἀρεταῖς ἡδονάς ⁵⁾, ut et voluptates turpi delectatione quaesitae respondent αἰσχραῖς, ὅσαι ἀκολαστοὶ τε καὶ μετὰ ἀδικίας ⁶⁾. Ipsam voluptatum divisionem: πολλά ἐστί εἶδη ἡδονῶν, τὰ μὲν διὰ τοῦ σώματος, τὰ δὲ διὰ τῆς ψυχῆς..., τὰς δὲ μετρίως ⁷⁾ Apuleius in clausula huius partis comprehendit, quae sic a Krollio restituta est: „non solum tristitia (vitia codd.) [s]et voluptates (voluntate codd.) accidere animis et venire corporibus, sed esse medium quendam statum, qualis est, cum abest tristitia nec tamen laetitiam adesse sentimus“. Hoc modo μετρίαι ἡδοναὶ ab Apuleio false explicatae sunt ad similitudinem Stoicorum indolentiae (ἀπάθεια). Clauditur vero haec de bonis et malis disputatio Platonica ⁸⁾ definitione boni et honesti nec non mali et turpis ⁹⁾.

Sequitur apud Albinum et Apuleium amicitiae et amoris explanatio, quae apud utrumque plane est eadem. Ad sententiarum nexum restituendum, ne „sociam“ plane haereat, ponendum est ante „amicitiam“ boni, ut legatur:

¹⁾ p. 37, 11 sqq. ²⁾ p. 90, 1 — 6. ³⁾ c. 18—21. ⁴⁾ c. 21, p. 29, 23 sq. Krüger. ⁵⁾ p. 42 extr. ⁶⁾ ib. v. 35 sq. ⁷⁾ ib. v. 31 sq. ⁸⁾ Prot. 358 B. ⁹⁾ p. 90, 18—22. Iam vides, quam inepta sit capitum distributio.

Apul. p. 90. 22 sq.

< b o n i > amicitiam ait sociam eamque consensu consistere reciprocamque esse ac dilectionis ¹⁾ vicem reddere, quando < a m a n s > ²⁾ aequaliter redamat, hoc amicitiae commodo provenit, cum amicus eum, quem diligit pariter ac se cupit prosperis rebus potiri. aequalitas ista non aliter provenit, nisi similitudo utro<bi>que ³⁾ parili caritate conveniat.

nam ut pares paribus inresolubili nexu iunguntur, ita discrepantes et inter se disijuncti sunt nec aliorum amici.

Alb. p. 43, 7 sqq.

φιλία... οὐκ ἄλλη τις ἐστὶ τῆς συνσταμένης κατ' εὐνοίαν ἀντίστροφον. αὕτη δὲ ὑφίσταται, ὅταν ἐπίσης ἐκάτερος βούληται τὸν πλησίον καὶ ἑαυτὸν εὖ πράττειν. ἢ δὲ ἰσότης αὕτη οὐκ ἄλλως σώζεται, ἢ κατὰ τὴν τοῦ ἡθους ὁμοίωτητά.

τὸ γὰρ ὅμοιον τῶ ὁμοίῳ μετρίῳ ὄντι φίλον ὑπάρχει, τὰ δὲ ἀμετρα οὔτε ἀλλήλοισι οὔτε τοῖς συμμετέροισι δύναται ἐφαρμοσάσαι.

Inimicitiarum diversam esse rationem ipse concludit Apuleius, cuius in verbis pro „sectas“ „facta“ reponenda sunt. Pergit Albinus: εἰσὶ δὲ τινες καὶ ἄλλαι νομιζόμεναι φιλίαι ⁴⁾ enumeratque naturalem parentum in liberos cognatorumque inter se benevolentiam, tum civilem ac sodalicam amicitiam, denique amorem, in quo tres distinguuntur species: honesta, turpis, media, quae tribus animae partibus respondent. Quae omnia pluribus exponuntur, praecipue viri boni amor. Eadem fere Apuleius protulit ⁵⁾, sed nonnulla more suo perperam intellexit, alia ampliavit. Amicitia quidem necessitatis causa coniuncta est ea, quam effugere non possumus, cum ea sanguine et cognatione constet. „Necessitudinum amor“ quid sibi velit, docemur verbis Albini: ἢ τῶν συγγενῶν πρὸς ἀλλήλους sc. φιλία ⁶⁾, „Amor abhorrens ab humanitatis clementia“, in quo amicitiae „nec mutuae sunt nec reciprocari queunt“, respondet eis Albini amicitiiis, de quibus legimus: αὗται δὲ οὐκ αἰεὶ ἔχουσι τὸ ἀντίστροφον τῆς εὐνοίας ⁷⁾. Eiusmodi amor non „sanitate ac paenitentia“ terminatur, quae codicum lectio est, sed „satietae“, quod iam editio Romana princeps optime restituit, a Goldbachero neglecta. Etiam tria amoris genera ab Albinianis ⁸⁾ non differunt: quorum ⁹⁾ unus divinus est cum incorrupta mente conveniens (ἐστὶ δὲ ἐρωτικὴ ἢ μὲν ἀστεία, ἢ τῆς σπουδαίας ψυχῆς) alter degeneris animi et corruptissimae voluptatis (ἢ δὲ φαύλη ἢ τῆς κακῆς). Tertius ex utroque permixtus, mediocris

¹⁾ sic. legendum cum Laurentiano, qui „delectionis“ praebet; alii codd. „delectationis“ exhibent.

²⁾ supplevit Rohde. ³⁾ equidem scripsi cum „utraque ex parte“ desideretur. ⁴⁾ p. 43, 13 sqq. ⁵⁾ p. 91. ⁶⁾ p. 43, 15. ⁷⁾ ib. v. 16. ⁸⁾ ib. v. 18—22. ⁹⁾ sic enim legendum est pro „quod“.

ingenii et cupidinis modicae (μέση δὲ ἡ τῆς μέσως διακειμένης). In triplici amore describendo ea, quae ab Albino amicitiiis attributa sunt, Apuleius animis tribuit, ut pro: ἡ μὲν γὰρ φαύλη (sc. φιλία) μόνου τοῦ σώματος ἐστὶ, τοῦ ἡδέος ἡττωμένη καὶ ταύτῃ βωσκηματώδης ὑπάρχουσα ¹⁾. legamus: „animas... fusciores inpelli cupidine corporum cet“; pro ἡ δὲ ἀστεία ψιλῆς τῆς ψυχῆς ἔνεκεν, ἣ ἔνοραται ἐπιτηδηιότης πρὸς ἀρετὴν „illas vero, <quae> facetae et urbanae sint, animas honorum de-amare cet“. Sed in ea attributorum translatione ne sibi quidem Apuleius constans apparuit, cum tertio animarum genere neglecto cum Albino medias describeret amicitias: „medias ex utroque constare nec delectationibus corporum prorsus carere et lepidis animarum ingeniis capi posse“. Non animae, sed amicitiae „ex utroque“ constant, neque alia est Albini sententia haec dicentis: ἡ δὲ μέση τοῦ συνκμοτέρου, ὀρεγομένη μὲν τοῦ σώματος, ὀρεγομένη δὲ καὶ τοῦ κάλλους τῆς ψυχῆς ²⁾. Quae mox de amore divino narrantur, qui „deorum munere beneficioque concessus adspirante caelesti cupidine in animos hominum creditur venire“, orta sunt ex Albini narratione de Amore: Ἐρωτα δαίμονά τινα... φατέον... διαπορθεύοντα τὰ παρὰ θεῶν ἀνθρώποις καὶ ἀνάπαλιν ³⁾. Cui sententiae praemissa sunt haec: ὁ δὲ ἀξίερατος καὶ αὐτὸς μέσος τις ὑπάρχει οὔτε φαῦλος ὢν οὔτε ἀστεῖος ⁴⁾ et eidem mox addita: primum amorem in rationali animae parte collocatum esse ⁵⁾. De reliquorum amorum sede Albinus dicere supersedit; at Apuleius addit alium amorem cupidini iunctum esse et voluptati. Sic enim cum codicibus hoc loco legendum est.

Eam amicitiae et amoris descriptionem excipit apud Albinum brevissima disputatio de civitate ⁶⁾. Cui Apuleius uberrimam praemisit narrationem de civium moribus ⁷⁾ e Platonis Republica ⁸⁾ haustam. Is enim cum de deterioribus (ἡμαρτημένα) ⁹⁾ rei publicae formis verba faceret, cum Lacedaemoniorum civitate hominem composuit contentiosum ambitiosumque (τὸν φιλόνηκόν τε καὶ φιλότιμον) ¹⁰⁾, cum paucorum dominatione (ὀλιγαρχία) parcum et quaestuosum (φειδολόν τε καὶ χρηματιστήν) ¹¹⁾, multorum vero dominationi virum popularem (δημοτικόν) ¹²⁾ similem ostendit, tyrannidi virum tyrannicum. Apuleius e civitatibus deterioribus (ἡμαρτημένα) cives culpabiles fecit, φιλοτίμους fortasse cum comico quodam poeta honoripetas

¹⁾ ib. 23 sqq.²⁾ p. 43, 26.³⁾ ib. v. 30 sq.⁴⁾ ib. v. 28 sq.⁵⁾ ib. v. 35.⁶⁾ c. 34, p. 44.⁷⁾ p. 91, 31—99, 15.⁸⁾ l. VIII in.⁹⁾ 544 A.¹⁰⁾ 545 A.¹¹⁾ 555 A.¹²⁾ 545 A. cf. IX 546 C.

appellavit, φειδωλός per abstemios reddidit, adiectivo iam Lucilio et Varroni cognito¹⁾. Nec multum in singulorum generum descriptione a Platone recessit sed ita, ut narratio eius potius ad culpabiles civitates quam ad culpabiles viros pertineret. In paucorum quidem dominatione describenda textus sic restituendus est, ut e codice Benedictino „et quae“ recipiatur et legatur: et quae ὀλιγαρχία dicitur, ea sic nascitur cet²⁾. Post „quae non necessariae cupidines sunt“ verbum „explentur“ propter assonantiam cum „possidentur“ excidisse videtur cf. Plat. Rp. VIII 554 A: φειδωλός... τὰς ἀναγκαίαις ἐπιθυμίαις μόνον πρὸς αὐτῶ ἀποτιμπλάς. Hunc φειδωλόν Plato etiam φιλοκερδῆ appellavit (Rp. IX 580 E. 581 C), quod adiectivum ab Apuleio per lucrucupidonem redditum esse videtur. Sic enim facillime illud „lucricupidem“, quod codices exhibent, emendari potest ita, ut Skutschii³⁾ emendatio „Plato“ in „Plautus“ et „lucricupidinem“ in „lucricupidum“ minime necessaria sit⁴⁾. Hoc tantummodo concedendum est „accipitrem pecuniae“ revera Plauto (Persa) deberi, sed non cum auctoris nomine prolatum esse, immo ad Platonicum lucrucupidonem illustrandum. Etiam popularis et tyrannica civitatis, immo virorum condicio Platonis depicta est coloribus.

Et tyranni quidem commemoratio virum pessimum Apuleio in mentem intulit, cuius ingenium et mores⁵⁾ primum secundum Lysidis verba describuntur, quibus vir ab amicitia alienus definitur. Ut in inimicitia supra⁶⁾ enarranda horum aptissima erat occasio proferendorum, ita quae mox de mali condicione et peccatorum electione involuntaria dicuntur, ad superiora⁷⁾ pertinent, non ad civitatis doctrinam. Iam cum malitia seditionem⁸⁾ mentibus pariens incepta atque meditata consilia impedire dicitur, respicitur hoc Platonis: τὸ... κακὸν βλέπτειν (sc. ἀεὶ πέφυκε)⁹⁾. Adiungitur pessimi amoris descriptio¹⁰⁾. Phaedri Platonici¹¹⁾ coloribus picta, cuius comparatio docet, non solum „<s>ed opacos umbra“ cum Bosscha scribendum esse, sed etiam „[s]et cura nimia emedullatos“ cf. οὐ στερεὸν διώκων, οὐδ' ἐν ἡλίῳ καθαρῶ τετραμμένον, ἀλλ' ὑπὸ συμμιγῆ σκιᾶ... ἐμπειρον δι' ἀπαλῆς τε καὶ ἀνάνδρου διαίτης.

¹⁾ v. Thes. l. L. s. v. ²⁾ cf. Plato. Rp. VIII 550 B. ³⁾ Archiv. für lat. Lexicogr. XII 200. ⁴⁾ v. Archiv. XIV, 1, p. 125. ⁵⁾ Apul. p. 92, 15—122 cf. Plat. Lys. 214 D. ⁶⁾ p. 90, 29 sqq. ⁷⁾ p. 73, 16—74, 19. ⁸⁾ haec electione codicis Florentini recepta videmus nulla in textu excidisse. ⁹⁾ Legg. X 409 B. ¹⁰⁾ p. 93, 8—15. ¹¹⁾ 239 C.

Res de malitia involuntaria¹⁾ ex superioribus²⁾ repetita est ita, ut quae illic de inscitia narrata sunt, hic iniuriae adscribantur. Et Gorgiae quidem argumentatio de praestantia eorum, qui iniuriam patiuntur, prae eis, qui inferunt³⁾, ab Albino in unius sententiae formam comprehensa: ὥστε φευκτότερον εἶναι τὸ ἀδικεῖν τοῦ ἀδικεῖσθαι⁴⁾, exprimitur ab Apulei dicto: „idcircoque peius est <nocere>⁵⁾ quam noceri“ idque mox repetitur. Qua in parte codicum lectionibus iam Rohdeus medeliferam admovit manum, cum scripsit: sed nocere longe peius esse, ex eo (quo codd.) intellegi potest, quod animi[s] bonis eo vitio perniciēs infertur“. Nocere „malorum omnium maximum“ esse, non „malorum omnium noxium“, docet Gorgiae comparatio μέγιστον τὸ κακόν⁶⁾, qua confirmatur codicis Fulvii lectio a Wowerio allata. Gorgiae Platónico⁷⁾ debetur etiam omnis doctrina de impunitate et poena. Insanabiliū (ἀνίατοι)⁸⁾ autem exsilia et mortes partim Politici⁹⁾ sententiis commendatur, partim Reipublicae¹⁰⁾ praeceptis confirmantur. Ipsa pessimi viri imago, cupiditatibus iactati, non multum distat a tyranno Platonis¹¹⁾. Apulei verba illum describentis correctae sunt a Krollio, qui scripsit: <s>editione vitiorum, et a Koziolio, „qui“ ante „quanto“ delente et „[s]educi“ reponente. Viro pessimo opponitur imago viri perfecte sapientis¹²⁾, quae quidem ab Albino in disputationis fronte posita¹³⁾, etiam in calce nonnullis lineis suppletur¹⁴⁾. Felix sapientis natura, disciplinae ratio, voluptatum contemptio apud Albinum et Apuleium inveniuntur. Sed et philosophorum educatio Platonica nonnullos huic suppeditavit colores¹⁵⁾. Locus cum a Goldbachero male distinctus et lacunarum signis deformatus sit, totum genuina forma proponere liceat: „atque etiam¹⁶⁾ tum a pueris imbutus, factis congruentibus et dictis aduetus, purgata et effecata animi voluptate, eiectis ex animo hinc <cupidinibus, firmatis illinc> abstinentia atque patientia <iudici>oque doctrinis ex rerum scientia eloquentiaque venientibus“. „Cupidines“ quidem supplevimus ex imagine tyranni eis iactati¹⁷⁾, iudicium i. e. partem animi rationalem ceteris dominantem optimo iure ex superiori-

¹⁾ p. 93, 16 — 20. ²⁾ p. 88, 30 sqq. ³⁾ 466 D—468 D; 469 A — 475 E, cf. Prot. 358 C. ⁴⁾ p. 41, 15. ⁵⁾ nemo non videt, quam necessarium sit id supplementum. ⁶⁾ 469 C ⁷⁾ l. l. ⁸⁾ Legg. V 375 E. ⁹⁾ 309 A. ¹⁰⁾ IX 590 CD malorum servitium unicum aptam esse conditionem. ¹¹⁾ Legg. IX 571 B sqq. ¹²⁾ p. 95, 13 — 99, 15. ¹³⁾ c. 1. ¹⁴⁾ c. 35. ¹⁵⁾ Rp. VII 535 Asqq. ¹⁶⁾ sic scribe pro „enim“ codd. ¹⁷⁾ p. 94, 23.

bus¹⁾ hic induximus. Firmatur autem iudicium doctrina: itaque pro accusativo instrumentalem restituimus. Ei doctrinae repugnat Stoicorum sententia ab Apuleio laudata sapientem repentino fieri²⁾. At quae de sapiente narrantur, qui a nulla persona, nulla re pendet, rursus Platonis sunt seu Menexeni auctoris³⁾. Verba „insertisque et inmissis“ optime a Krollio correctae sunt in „incertisque dimissis“, qui etiam codicum lectionem „omnia, quae ad beatam vitam ferunt“ commendavit. Mox sapiens ille Socratis induit personam, de iniuria neque facienda neque referenda dicentis⁴⁾ et de malis, quae sibi nullo modo nocere possint⁵⁾. In textu: „eam putat (sc. iniuriam), quam non patientia firmiter toleret“, restituit Krollius, qui etiam qua < n d o > quidem supplevit. Cetera Stoica sunt⁶⁾, nisi quae de morte disputantur⁷⁾ rursus ad Platonem⁸⁾ referri possunt. Si autem Protagorae⁹⁾ respexeris argumentationem, qua singulae virtutes eiusdem scientiae partes esse demonstrantur, etiam sententiam de sapiente omnibus virtutibus ornato illuc pertinere dices. Nervos animi ad fortitudinem designandam Rei publicae (III 411 B) deberi supra monuimus¹⁰⁾. Sed sapientis divitiae rursus Stoicorum redolent doctrinam, cum mortis studium, quae philosophia sit, Platonicum sit¹¹⁾. Collocatur hic etiam Lysidis¹²⁾ sententia iam supra partim allata, de bonis omnibus amicos, et repetitur Albinus disputatio¹³⁾ de amore honesto. Qua in parte legendum est: „< et > hoc est sapient< i u > um, iste vero cet“. Additur Menexeni (248 R) locus de sapientis aequo animo.

Sapientiae finis in dei imitatione cum Albino¹⁴⁾ ponitur, beatitudo Stoicorum depingitur coloribus. Sed εὐδαμονία eadem esse videtur ac Albinus δαίμωνος εὐεξία¹⁵⁾, quam in hac corruptela latere putamus¹⁶⁾: „et ad ornamentum quidem genialis < fe > lici < tatis id > est virtutis cet“. De bonis, quae virtute meliora fiunt, eadem praedicavit Albinus¹⁷⁾, qui etiam illud: εἶπου θεῶν¹⁸⁾ Platoni attribuit. In disputatione de morte voluntaria, quae ex Phaedone¹⁹⁾ sumpta est, post „tamen“²⁰⁾ „eam“ legendum est et supplendum

¹⁾ cf. e. g. p. 83, 5 sq. al. ²⁾ p. 95, 21. ³⁾ Menex. 248 A. Dialogum genuinum esse Platonis opus nuper post alios etiam C. de Morawski contendit dissertatione: de Athenarum gloria (Cracoviae 1905.), p. 16 sq. ⁴⁾ Crito 49 D. ⁵⁾ Apol. p. 30 D. ⁶⁾ p. 96, 7 sqq. ⁷⁾ ib. 11—16. ⁸⁾ Phaedo 107 C sqq. ⁹⁾ 349 B. ¹⁰⁾ ad p. 85, 10. ¹¹⁾ Phaedo 64 E. 67 D. ¹²⁾ 214 C. ¹³⁾ p. 43, 35 sqq. ¹⁴⁾ c. 28. ¹⁵⁾ p. 38, 2. ¹⁶⁾ p. 98, 23. ¹⁷⁾ p. 36, 11. ¹⁸⁾ p. 37, 30. ¹⁹⁾ 61 D — 62 C. ²⁰⁾ p. 99, 10.

„<non debere>“, et maiore interpunctione posita sic sententia continuanda: „mortem eius, etsi anteactae vitae cet“.

Iam vidimus longam disputationem de viro perfecte sapiente ductam esse commemoratione quattuor civium generum ita, ut is quidem viro pessimo opponeretur. Eo excursu absoluto Apuleius ad doctrinam de civitate¹⁾ aggreditur. Ipsa civitatis definitio ad eam proxime accedit, quae inter definitiones (ὄροι) Platonicas (p. 315 C) legitur: eam habitationem (ὄκησις) multitudinis hominum esse communibus decretis (κοινοῖς δόγμασι) utentium vel multitudinem hominum sub eadem lege viventium. Nam in Platonis Republica II 369 C, quo ex loco Goldbacherus feliciter „coniunctum“ in „convictum“ (ξυνοικία) emendavit, de legibus communibus nihil legitur. Quae autem de civium concordia et mutuo adduntur auxilio, quaeque eis praemittuntur: alios regentes esse, ceteros deteriores²⁾, non iam ad quamlibet pertinent civitatem, sed ad eam, quae optima est et cum iustitia regitur. Addit aliam civitatis concordis definitionem et nonnulla de magnitudine eius et mensura³⁾ unaque sententia de civitate morbida (φλεγμαζίνουσα) interposita pergit in optima civitate describenda secundum Albinum⁴⁾, quocum in eodem tenore etiam sententiam illam de philosophis regnantibus profert⁵⁾. Albinianis Platonica adiunguntur de auri argentique apud custodes contemptu⁶⁾; qui etiam quaestuosam officia subire vetantur „ut ceteris non recusantibus⁷⁾ cibos victumque ita sibi curent, ut acceptam mercedem... communibus epulis insumant“⁸⁾. Etiam quae de matrimoniis ex Republica (V 458 C) proferuntur, hoc modo restituenda sunt, ut legatur cum codice Florentino: „despondentibus ipsis eiusmodi nuptias publice civitatis sapientibus, cet“. Non magistratus tamen ad hoc sorte eligi docet Plato, sed sortibus uxores obtineri. Demonstrantur porro communium liberorum commoda, numerusque perfectus generationis commemoratur⁹⁾ et feminarum communis educatio¹⁰⁾.

¹⁾ p. 99, 16—104, 14. ²⁾ nam quod codd. exhibent „ceteriores“ ortum esse videtur ex „ceteri <deteri>ores“. ³⁾ lego enim vs. 6 „metiri“ pro „uti“. ⁴⁾ c. 34 p. 44, 13 sqq. ⁵⁾ v. T. Sinko, Sententiae Platonicae de philosophis regnantibus quae fuerint fata (Podgórze ad Cracoviam 1904), p. 24. ⁶⁾ Rep. III 416. Legg. 741 C. ⁷⁾ sic enim legendum est pro „hospitia“ cf. Rp. IV 419 AB. ⁸⁾ hoc latere videtur in corruptela „non reclusis ianua“, ⁹⁾ cf. Rep. IV 419 AB, 420 A. βρδ' εἶναι χρηματίζεσθαι τῶν ἀνελευθέρων χρηματισμῶν μηδὲν μὲν. ¹⁰⁾ cf. Plat. Rp. VIII 546 B. sq. ¹¹⁾ ib. v. 451 D cf. 452 A. Apul. p. 101, 22 bene Krollius „artibus“ pro „partibus“ coniecit.

Ea est optima civitas Apulei maxima ex parte secundum Platonis Rem publicam descripta. Hic tamen etiam aliam civitatem in Legibus proposuit ἐξ ὑποθέσεω; (Alb. p. 44, 30), quod „dicis causa“¹⁾ interpretatus est Apuleius. In ea civitate feminas non esse communes iam Albinus animadvertit²⁾, quod idem Apuleius demonstravit matrimoniaque mixta quaedam commendavit. Quod de educatione narratur³⁾, referendum est ad Legg. VII 788 AB, ubi de liberis maribus et feminis non privatim et domi (ἰδίᾳ καὶ κατ' οἰκίᾳ), sed ex legislatoris consilio instituendis narratur. Itaque is sensus in Apulei verbis corruptissimis premendus est: „instituendos vero eos esse... <ut magi>stratus⁴⁾ censuerint civitatis“. In proximis magistratum curae parentum voluntas et sexus diversitas opponitur: Et in his Koziolius recte autumnavit scribendo: „non utcumque <velint> parentes nec ita <ut seorsum uterque> sexus <sit>“, sed <ut magi>stratus censuerint civitatis“. Sequuntur sententiae de possessione privata⁵⁾ et legum fine, qui in virtute constat⁶⁾, e Platone decerptae. At quae de civitatis forma narrantur ex tribus mixta, scilicet e monarchia, aristocratia et democratia, ea magis Ciceroniana (vel Posidoniana) sunt quam Platonica. Plato enim monarchiam omnibus praeferebat⁷⁾, quam etiam Apuleius respicere videtur, cum rectorem mores civium persuasione vel etiam vi emendare iubet⁸⁾.

Quae mox de tertia quadam civitatis specie narrantur, scilicet de civitate actiosa⁹⁾, ducta esse videntur Critiae Platonis proposito, ut civitas optima in actu i. e. in bello ostenderetur. Sed cum haec deessent, Apuleius nonnulla de magistratibus cives ad bonos mores educantibus protulit¹⁰⁾, quae nihil ab eis differunt, quae in superioribus civitatibus describendis narrata sunt. Et quod supra¹¹⁾ de quattuor culpabilium virorum formis enarravit, denuo repetit¹²⁾ ita, ut pro viris civitates ponat. „Civi <tat>um enim pro „civium“ recte a Krollio restitutum esse docet Albinus, qui scripsit¹³⁾: πέντε δὲ φησὶν εἶναι πολιτείας, τὴν τε ἀριστοκρατικὴν, ὅποταν οἱ ἄριστοι ἄρχωσι, καὶ δευτέραν τὴν τιμοκρατικὴν, καὶ μετὰ ταύτην τὴν δημοκρατικὴν, τελευταίαν δὲ τὴν τυραννίδα, χειρίστην ὑπάρχουσαν. Apuleius cum non omnes civitatis enumeret formas, sed „culpabiles“ solas, optimorum

¹⁾ p. 102, 5. ²⁾ p. 45, 3. ³⁾ p. 102, 29 sq. ⁴⁾ <magi>stratus iam a Goldbachero suppletum est. ⁵⁾ cf. Plat. Legg. V 740 A. ⁶⁾ cf. ib. XII 963 A. ⁷⁾ v. e. g. Legg. IV 712 DE cf. IV 709 E. ⁸⁾ cf. Legg. 711 CD. ⁹⁾ p. 103, 17 sq. ¹⁰⁾ p. 103, 19—25 cf. p. 86, 7—15. ¹¹⁾ p. 91, 31 sqq. ¹²⁾ p. 103, 25 sqq. ¹³⁾ p. 44, 25.

dominationem omittit, reliquas ita profert, ut secundum Platonem¹⁾ omnium civitatum originem, ut ita dicamus, historicam explicet. Rationem enim psychologiam, quae dicitur, iam supra illustravit in virorum culpabilium moribus describendis. Narrationis verba in editione Romana principi correctiora edita sunt, quam apud Goldbacherum leguntur: Illa enim exhibet: „lexque iussu populi fuerit promulgata“, quae lectio in codicibus detorta invenitur in „lexque <e>ius su populi“: ad sensum explendum addidit Florentinus „iudicio“, quod tamen reliquis codicibus deest. Tyrannus autem non „legum coniuratione“ imperium invadit, sed legum „conversione“.

Hoc modo duas philosophiae partes Apuleius adumbravit, scilicet naturalem et moralem; ex tertia, qua de dialectica agitur, nonnisi ea excerpit, quae ad rerum cognitionem humanam pertinent, eaque parti primae interseruit²⁾. Omisit autem ea, quae Albinus³⁾ de dialecticae partibus disseruit, quae sunt divisio (διαιρέσις), definitio (ὁρισμός), resolutio (ἀνάλυσις), inductio (ἐπαγωγή); nec minus ea, quibus agitur de propositione (πρότασις) et de syllogismis et sophismatibus nec non de decem praedicamentis (κατηγορίαι) et recto nominum usu. Quae omnia duobus capitulis (5. et 6.) brevissime ab Albino perstringuntur eo narrationis fine observato, ut exemplis e Platonis dialogis prolatis ostendatur omnem eam doctrinam Platoni in usu fuisse et quasi in nuce apud eum contineri; et quamquam propriis libellis non sit exposita, tamen Platonem etiam huius philosophiae partis inventorem esse.

Exstat libellus, in quo eadem ac in Albinus capite sexto fusius explanantur, qui in codicibus s. X. Apuleio adscribitur⁴⁾. Quod codicum testimonium ab Isidoro (Orig. 2, 28) s. VII. confirmatur nec non a Cassiodoro (de dial. 70, 1173, 1203 Mig.) s. VI. Nam qui s. V eum exscripsit Martianus Capella auctoris nomen non laudavit. Haec testimonia viris doctis sufficere videbantur, ut in libello περὶ ἐρμηνείας tertia philosophiae Platonicae pars agnosceretur ab Apuleio adumbrata. Primus G. F. Hildebrandus⁵⁾ a. 1842 opusculum ab Apuleio abiudicavit et grammatico cuidam tertii vel quarti saeculi p. Chr. n. attribuit tribus usus argumentis, quorum primum

¹⁾ Rp. VIII 544 ad fin. ²⁾ p. 67, 24 sq. p. 71, 8 sqq. de quibus v. supra. ³⁾ c. 5. 6. ⁴⁾ v. Goldbacheri editionem libelli Wiener, Studien VII, 1885, et Meiss'ii (Apuleius περὶ ἐρμηνειῶν, Lörrach, 1886). ⁵⁾ ed. mai. I p. XLIV.

ex codicum facultate petitum est, alterum ex libelli indole, tertium ex Apulei testimonio: nimirum libellum non contineri in optimis codicibus, quibus libri de dogmate Platonis servati sunt; dictionem ieiunam regulasque aridas ab Apulei florida dicendi ratione plane abhorre, immo scholarum pulverem redolere; Aristotelis et Peripateticorum doctrinam in libello nominatim prolatam ipsius Apulei verbis contradicere, qui ea sibi Latine tractare proposuerit, quae Graece Plato tractasset. (Plat. p. 66, 11 sqq.). Quae argumentatio Hildebrandi Bernhardy (Röm. Litt.⁵ p. 883. 886), Teuffelio¹⁾ (Röm. Litt.³ p. 859, 15), Goldbacher (in praefatione edit.). Becker (Stud. Apul. Berlin 1879 p. 8), Zeller (III, 2^s p. 209 An. 3) satisfacit, ut libellum Apulei non esse putarent. Quorum Goldbacherus novum quoddam *νοθεία* argumentum invenisse sibi visus est, cum dixit: (edit. p. III): si illud exemplum reputavisses „Apuleius disserit, non disserit“, „Apuleius philosophus Platonius Madaurensis utitur oratione“, profecto tam ineptum insulsumque hominem fuisse Apuleium vix te existimaturum esse, ut se ipsum pro exemplo poneret; immo haec exempla causam dedisse, ut qui Plat. 1, 4 legisset illum de tribus philosophiae partibus separatim dicturum esse, tertiam autem partem nusquam confectam vidisset: ipse libellum conscriberet neque eum pro Apuleiano vendere vellet; exemplis ab illo allatis perfectum esse, ut libellus a librariis Apuleio tribueretur.

Hildebrandi argumenta iam a Meiss'io refutata sunt, qui recte animadvertit libellum a nonnullis codicum scriptoribus propterea neglectum esse, quod aperte non Platonis, sed Peripateticorum doctrinam prae se ferret; Cassiodori tamen atque Isidori testimoniis plane eam lacunam expleri. Adde, quod qui in libello de Platone post dialecticam „rationalis“²⁾ interpolavit in archetypo, initium libelli *περὶ ἐρηνησίας* ante oculos habuisse videtur. Hildebrandi argumentum ex orationis indole petatum nihili esse unusquisque concedet, qui materiam ipsam maxime aridam atque ieiunam respexerit. Qui vero in philosophia morali multa ab Apuleio (et Albino) pro Platonicis vendita vidit, quae a Platone alienissima sunt, non mirabitur, si et hic Peripateticorum et Stoicorum placita sub Platonis feruntur nomine. Magis mirandum est, quod Zellerus, qui et ipse Albini placitorum contaminationem ad rem illustrandam com-

¹⁾ quem Thesauri l. L. editores secuti sunt. ²⁾ p. 65, 22, quod iam Goldbacherus animadvertit.

memoravit, non animadvertit in Albini libelli uno capite eandem materiam brevissime comprehensam esse. Quae cum ita sint, nihil obstat, quominus Cassiodoro, Isidoro, codicibus fidem tribuamus et libellum pro Apuleiano habeamus. Apulei nomen exempli gratia prolatum illustratur grammaticorum consuetudine, quos idem saepius fecisse constat¹⁾. Sed gravissimum αὐθεντικός documentum hoc esse nobis videtur, quod Apuleius eundem fontem ante oculos habuit, quem cum Albino in reliquis philosophiae partibus secutus est. Iam conferas haec:

Apul. herm. in
studium sapientiae, quod philosophiam
vocamus, plerisque videtur tres species
seu partes habere: naturalem, moralem
et rationalem.

propositionum... duae species sunt, al-
tera praedicativa, quae etiam simplex
est... altera substitutiva vel condicio-
nalis, quae etiam composita est.

Alb. c. 3 in.

ἡ φιλοσοφία ἐστὶν ὄρεξις σοφίας· ἡ δὲ τοῦ
φιλοσόφου σπουδὴ ἐν τρισὶν εἴκειν εἶναι· κα-
λεῖται δὲ ἡ μὲν τῶν ὄντων γνώσις θεωρη-
τικὴ, ἡ δὲ περὶ τὰ πρακτέα πρακτικὴ, ἡ δὲ
περὶ τὸν λόγον διαλεκτικὴ.

c. 6 in.

τοῦ δὲ λόγου, ὃν καλοῦμεν πρότασιν, δύο
ἐστὶν εἶδη... τῶν δὲ προτάσεων αἱ μὲν κατ-
ηγορικαὶ εἰσιν, αἱ δὲ ὑποθετικάι. κατηγορικαὶ
μὲν ἀπλᾶι... ὑποθετικάι δὲ εἰσιν αἱ ἀκο-
λουθίαν δηλοῦσαι ἢ μάχην.

Haec sola si Apuleio cum Albino essent communia, argumen-
tum debilius esset. Sed cum iam demonstratum sit in philosophia
naturali et morali adumbranda Apuleium hoc modo cum Albino
cohaerere, ut fontem communem partim eadem atque ille ratione
exscribat, partim plura ex eo decerpat, partim ex Platone nonnulla
suppleat, non dubitabimus affirmare et hoc loco fontem communem
uberiorem fuisse, ex quo Albinus paucissima, Apuleius plurima
transtulerit. Itaque non solum in propositione enucleanda, sed etiam
in doctrina syllogismorum exponenda communis fons detegi potest.
Nam syllogismi definitio, quam Albinus (p. 14, 17 sq.) ex Aristo-
tele decerpit (Anal. pr. 1, 1, 5), cum auctoris nomine ab Apuleio
profertur. Etiam exempla nonnulla utrique communia sunt: ὁ ἄν-
θρωπος ζῷον Albini (p. 14, 32) respondet Apuleianae sententiae:
omnem hominem animal esse; τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν (p. 14, 19) omnis
voluptas bonum est; τις ἡδονὴ οὐκ ἀγαθόν (ib.) omnis voluptas bo-

¹⁾ v. Plot. Sacerd. gramm. VI p. 447, 18 Sacerdote docente; p. 517, 24
simul dedit ore Sacerdos; p. 536, 13 di boni servate Sacerdotem; p. 539, 15
istaec composui metra Sacerdos optima nunc cf. Dosith. gramm. VII p. 407, 19,
413, 25.

Apul. p. 90. 22 sq.

<boni> amicitiam ait sociam eamque consensu consistere reciprocamente esse ac dilectionis¹⁾ vicem reddere, quando <amans>²⁾ aequaliter redamat, hoc amicitiae commodo provenit, cum amicus eum, quem diligit pariter ac se cupit prosperis rebus potiri. aequalitas ista non aliter provenit, nisi similitudo utro<bi>que³⁾ parili caritate conveniat.

nam ut pares paribus inresolubili nexu iunguntur, ita discrepantes et inter se disiuncti sunt nec aliorum amici.

Alb. p. 43, 7 sqq.

φιλία... οὐκ ἄλλη τις ἐστὶ τῆς συνισταμένης κατ' εὐνοίαν ἀντίστροφον. αὕτη δὲ ὑφίσταται, ὅταν ἐπίσης ἑκάτερος βούληται τὸν πλησίον καὶ ἑαυτὸν εὖ πράττειν. ἡ δὲ ἰσότης αὕτη οὐκ ἄλλως σώζεται, ἢ κατὰ τὴν τοῦ ἡθους ὁμοιότητα.

τὸ γὰρ ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ μετρίῳ ὄντι φίλον ὑπάρχει, τὰ δὲ ἀμετρα οὔτε ἀλλήλοις οὔτε τοῖς συμμετροῖς δύναται ἐφαρμόσασθαι.

Inimicitiarum diversam esse rationem ipse concludit Apuleius, cuius in verbis pro „sectas“ „facta“ reponenda sunt. Pergit Albinus: σὶσι δὲ τινες καὶ ἄλλαι νομιζόμεναι φιλίαι⁴⁾ enumeratque naturalem parentum in liberos cognatorumque inter se benevolentiam, tum civilem ac sodalicam amicitiam, denique amorem, in quo tres distinguuntur species: honesta, turpis, media, quae tribus animae partibus respondent. Quae omnia pluribus exponuntur, praecipue viri boni amor. Eadem fere Apuleius protulit⁵⁾, sed nonnulla more suo perperam intellexit, alia ampliavit. Amicitia quidem necessitatis causa coniuncta est ea, quam effugere non possumus, cum ea sanguine et cognatione constat. „Necessitudinum amor“ quid sibi velit, docemur verbis Albini: ἡ τῶν συγγενῶν πρὸς ἀλλήλους sc. φιλία⁶⁾, „Amor abhorrens ab humanitatis clementia“, in quo amicitiae „nec mutuae sunt nec reciprocari queunt“, respondet eis Albini amicitia, de quibus legimus: αὐταὶ δὲ οὐκ αἰεὶ ἔχουσι τὸ ἀντίστροφον τῆς εὐνοίας⁷⁾. Eiusmodi amor non „sanitate ac paenitentia“ terminatur, quae codicum lectio est, sed „satietae“, quod iam editio Romana princeps optime restituit, a Goldbachero neglecta. Etiam tria amoris genera ab Albinianis⁸⁾ non differunt: quorum⁹⁾ unus divinus est cum incorrupta mente conveniens (ἐστὶ δὲ ἐρωτικὴ ἢ μὲν ἀστεία, ἢ τῆς σπουδαίας ψυχῆς) alter degeneris animi et corruptissimae voluptatis (ἢ δὲ φαύλη ἢ τῆς κακῆς). Tertius ex utroque permixtus, mediocris

¹⁾ sic. legendum cum Laurentiano, qui „delectionis“ praebet; alii codd. „delectationis“ exhibent.

²⁾ supplevit Rohde. ³⁾ equidem scripsi cum „utraque ex parte“ desideretur. ⁴⁾ p. 43, 13 sqq. ⁵⁾ p. 91. ⁶⁾ p. 43, 15. ⁷⁾ ib. v. 16. ⁸⁾ ib. v. 18—22. ⁹⁾ sic enim legendum est pro „quod“.

ingenii et cupidinis modicae (μέση δὲ ἡ τῆς μέσως διακειμένης). In triplici amore describendo ea, quae ab Albino amicitiiis attributa sunt, Apuleius animis tribuit, ut pro: ἡ μὲν γὰρ φαύλη (sc. φιλία) μόνου τοῦ σώματος ἐστὶ, τοῦ ἡδέος ἡττωμένη καὶ ταύτῃ βωσκηματώδης ὑπάρχουσα ¹⁾. legamus: „animas... fusciores inPELLI cupidine corporum cet“; pro ἡ δὲ ἀστεία ψιλῆς τῆς ψυχῆς ἔνεκεν, ἣ ἐνορᾶται ἐπιτηδηϊότης πρὸς ἀρετὴν „illas vero, <quae> facetae et urbanae sint, animas bonorum de-amare cet“. Sed in ea attributorum translatione ne sibi quidem Apuleius constans apparuit, cum tertio animarum genere neglecto cum Albino medias describeret amicitias: „medias ex utroque constare nec delectationibus corporum prorsus carere et lepidis animarum ingenii capi posse“. Non animae, sed amicitiae „ex utroque“ constant, neque alia est Albini sententia haec dicentis: ἡ δὲ μέση τοῦ συνχυροτέρου, ὀρεγομένη μὲν τοῦ σώματος, ὀρεγομένη δὲ καὶ τοῦ κάλλους τῆς ψυχῆς ²⁾. Quae mox de amore divino narrantur, qui „deorum munere beneficioque concessus adspirante caelesti cupidine in animos hominum creditur venire“, orta sunt ex Albini narratione de Amore: Ἐρωτα δαίμονά τινα... φατέον... διαπορθεύοντα τὰ παρὰ θεῶν ἀνθρώποις καὶ ἀνάπαλιν ³⁾. Cui sententiae praemissa sunt haec: ὁ δὲ ἀξιεράστος καὶ αὐτὸς μέσος τις ὑπάρχει οὔτε φαῦλος ὦν οὔτε ἀστείος ⁴⁾ et eidem mox addita: primum amorem in rationali animae parte collocatum esse ⁵⁾. De reliquorum amorum sede Albinus dicere supersedit; at Apuleius addit alium amorem cupidini iunctum esse et voluptati. Sic enim cum codicibus hoc loco legendum est.

Eam amicitiae et amoris descriptionem excipit apud Albinum brevissima disputatio de civitate ⁶⁾. Cui Apuleius uberrimam praemisit narrationem de civium moribus ⁷⁾ e Platonis Republica ⁸⁾ haustam. Is enim cum de deterioribus (ἡμαρτημένα) ⁹⁾ rei publicae formis verba faceret, cum Lacedaemoniorum civitate hominem composuit contentiosum ambitiosumque (τὸν φιλόνηκόν τε καὶ φιλότιμον) ¹⁰⁾, cum paucorum dominatione (ὀλιγαρχία) parcum et quaestuosum (φειδολόν τε καὶ χρηματιστήν) ¹¹⁾, multorum vero dominationi virum popularem (δημοτικόν) ¹²⁾ similem ostendit, tyrannidi virum tyrannicum. Apuleius e civitatibus deterioribus (ἡμαρτημένα) cives culpabiles fecit, φιλοτίμους fortasse cum comico quodam poeta honoripetas

¹⁾ ib. 23 sqq.²⁾ p. 43, 26.³⁾ ib. v. 30 sq.⁴⁾ ib. v. 28 sq.⁵⁾ ib. v. 35.⁶⁾ c. 34, p. 44.⁷⁾ p. 91, 31—99, 15.⁸⁾ l. VIII in.⁹⁾ 544 A.¹⁰⁾ 545 A.¹¹⁾ 555 A.¹²⁾ 545 A. cf. IX 546 C.

tellectos fuisse. Et si id respexerimus, quod Albini libellus propterea scriptus est, ut adulescentes nuper in Academiam recepti in totius philosophiae Platonicae rationem et disciplinam introducerentur, antequam dialogis legendis atque explicandis operam darent, facile credemus Apuleio elementa, ut ita dicamus, Academica discenti introductionem quandam in Platonis philosophiam, e Cai scholis confictam, in manibus fuisse. Apulei contubernium cum Pontiano Athenis florens ¹⁾ consideranti, facile in mentem venit, iuvenibus quibusdam divitibus custodes rectoresque additos esse, qui studiis eorum praessent. Quid, si iuvenis linguae Graecae non magnopere peritus in Apulei curam deditus est? Nonne in usum eius Graecam suam introductionem Latine vertisse videtur, quamquam ipse nondum totus se in Platonis philosophiam ingurgitavit? Quae cum ita sint, Faustinum illum filium, ad quem libri de Platone missi sunt, Apulei disciplinae alumnum fuisse, facile concedes.

Eiusdem Faustini nomini liber de mundo inscriptus est. Quod opusculum quo tempore conscriptum sit cum quaeritur, haec ante oculos habenda sunt: Phrygiae regiones ab Apuleio oculis iam tum visas fuisse ²⁾; Romae locos et ei cognitos esse et Faustino, apud quem sine ulla explicatione, immo exempli gratia, hominem ad Minuciam (sc. porticum) frumentatum venientem commemorat ³⁾. Sed quominus Romae libellum scriptum esse putemus, hac prohibemur sententia ⁴⁾: „Phidian illum... vide ipse in clipeo Minervae, quae arcibus Atheniensibus praesidet, oris similitudinem conligasse cet“. Sic nonnisi eum adloqui potuit, cui cotidie arcem Athenarum ad-eundi et Phidiae Minervam spectandi facultas erat. Ergo libellum de mundo ad adolescentem Romanum, qui Athenis degebat, Athenis scriptum esse haud inepte coniciemus. Ut vero credamus eum post libros de Platone compositum esse, his adducimur: Apuleius exemplaris Graeci auctoritatem ita sequitur, ut suo iudicio nonnulla ex Platone (e. g. epilogum), alia ex Gellio vel Gelli fonte (de ventis c. 13. 14) addat, cum in Albini fonte Latine transferendo satis fideliter, immo serviliter, exemplaris Graeci vestigia presserit. Oratione autem usus est multo correctiore et splendidiore, quam in libellis de Platone. Neque iam cum sermonis egestate luctatur neque nova quaedam verba excusatur, sed artis vocabula Graeca sine

¹⁾ p. 119, 14 Goldb. ²⁾ p. 132, 22 alius ad Minuciam frumentatum venit cf. Ps. Arist. *περὶ κόσμου* p. 400^b 15 ὁ μὲν τις εἰς τὸ πρυτανεῖον βαδίζει σιτησόμενος, ubi de bene meritis publice nutritis sermo est. ³⁾ p. 130, 15. ⁴⁾ Apol. c. 72.

ulla cunctatione Latinis reddit. Conferas quae de animalibus terrenis et terrestribus supra dicta sunt (p. 73, 6) et videas, ut hic reddatur: οὗτος ἐνελίων ζώων καὶ πεζῶν καὶ ἀερίων φύσεις ἐχώρισε per „hic animalium nantium atque terrestrium pinnigerarumque cunctarum distinxit genera (p. 123, 6); et εἴ τις ὁμοῦ ζῶν ἐνυδρὸν τε καὶ χερσαῖον καὶ πτηνόν“ per „volucrum, natatiliū atque terrestrium greges“ (p. 127, 14); nec non animadvertas τὸ κάτω... μέρων ζώων per „animantium terrena genera“ (p. 110, 5) verti: ut concedas eum, qui hic facile πεζόν et χερσαῖον per terrenum et terrestre reddiderit, semel etiam τὰ ἐπὶ γῆς ζῶν per pedestria (p. 133, 14) circumscripserit, nullo modo dubitare potuisse, quo modo Platonicum γένος πεζόν καὶ χερσαῖον Latine exprimendum sit. Si illi libelli post opusculum de mundo compositi fuissent, scripsisset Apuleius „genus pedestre et terrestre“ nullaque eguisset explicatione. Terreni autem et terrestres exemplum eo magis aestimandum est, quod Apuleius ipse in Apologia (c. 38 fin.) inter Graeca animalium genera, quae a se primo Latine pronuntiata sunt, etiam πεζά protulerit. Sed et alia vestigia librorum de Platone prius scriptorum in hoc opusculo cernuntur: Ἀστέρων χορείας Platonicas per „chorum antiquum“ redditas esse supra vidimus (p. 72, 3). Hic de caelo una cum stellis in orbem se vertenti haec in Graeco exemplari leguntur: πλήρης δὲ ὦν (sc. ὁ οὐρανός) σωμαίων θείων, ἃ δὲ καλεῖν ἄστρα εἰώθαμεν, κινούμενος κίνησιν ἀίδιον, μὴ περιαγωγῇ καὶ κύκλῳ συναναχορεύει πᾶσι τοῦτοις ἀπύστωσι δι' αἰῶνος. Apuleius narrat (p. 107, 11) caelum cum stellis ferri per orbem „dierum noctiumque curriculis agens stellarum chorus“. Ansam quidem ex illo συναναχορεύει sumpsit, sed stellarum chorus aliunde huc intulit, eumque chorus repetivit ad vertenda Graeca: μία δὲ ἐκ πάντων ἀρμονία συναδόντων καὶ χορευόντων κατὰ τὸν οὐρανόν per „unus conventus atque unus stellarum chorus ex diversis occasibus artibusque“ (p. 127, 31). Nec desunt eiusmodi alia. Nam cum stellarum errantium secundum exemplar Graecum cursus descripti essent, addidit ex suo Apuleius „quae propter naturam eiusmodi nullis creduntur erroribus vagae“ (p. 108, 5), illorum recordatus, quae supra (p. 71, 20 cf. p. 122, 30) ex Platone protulit: „quas (stellas) nos non recte erroneas et vagas dicimus; nostrae enim super earum cursibus opiniones disputationesque possunt in errorem intellectum inducere“. Haec iam sufficere videntur ad demonstrandum libellum de mundo ab Apuleio post libros de Platone compositum esse, cum universi imago clarior iam ante

animi eius oculos steterit, quam quae supra e Cai lectionibus ficta est. Iam conferas illam sententiam confusionis plenam (p. 72, 24): „exinde elementis omnia ac principiis occupari: ignem ante alia superiorem esse, mox aëris locum, hinc aquae proximum et tunc globum terrae in medio situm“, cum hac (p. 122, 11): „libera elementorum substantia, ignis, aquae, aëris, terrae, ex quibus huius sphaerae convexa et disparibus qualitatibus naturae conflata, adacta est fateri concordiam“, ut omnibus, quae adhuc allata sunt respectis, Kawczyńskii amplectaris sententiam¹⁾ libellum de mundo supplementum quoddam esse ad primam partem philosophiae Platonicae. Caeli chori ne tum quidem oblitus est Apuleius, cum orator philosophans in Africa de deo Socratis ante auditores multos declamavit²⁾. Cuius declamationis indoles ea esse videtur, ut doctrinae Platonicae scientia eandem claram prae se ferat faciem, quam in Apologia vidimus. Non Platonis placita ex compendio quodam decerpta, sed Platonis dialogi laudantur. Unum solum momentum in discrimen vocare liceat. Quae ratio intercedat inter fatum seu necessitatem, qua homines regantur, omni communione cum summo deo denegata, et providentiam divinam, ita supra (p. 73, 16 sqq.) ostendi vidimus, ut Apuleius fato et providentia definitis, immo distinctis, nullo usus transgressu, de daemonibus disputaret eorumque ministerio. Iam quae ibi desideravimus, quibus argumentatio suppleatur, hic (c. 5. 6) multis verbis ita clare describuntur, ut Apuleius interea re vera hanc materiem difficillimam comprehendisse videatur. Et cum dicit: „ut possit videri nullum animal in terris homine postremius“ (p. 8, 14) respicere videtur illud, quod olim scripsit: „omnium vero terrenorum nihil homine praestabilius providentia dedit“. (p. 74, 18). Et quod olim e Timaeo (28 C.) vertit: „cuius (sc. summi dei) naturam invenire difficile est, si inventa sit, in multos eam enuntiari non posse“ (p. 66, 25), nunc ita explanat (p. 7, 24): „Plato praedicat hunc solum maiestatis incredibili quadam nimietate et ineffabili non posse penuria sermonis humani quavis oratione vel modice comprehendere“. Qua in re Albini illud in memoria tenet: ineffabilem (ἀπόρητον) esse deum (p. 20, 7. 28). Et cum addidit (ibid.): „vix sapientibus viris, cum se vigore animi, quantum licuit, a corpore removerunt, intellectum huius dei, id quoque interdum velut in artissimis tenebris rapidissimo coruscamine lu-

¹⁾ De scriptis oratoriis cet. (O pismach oratorskich) p. 44. ²⁾ p. 6, 17.

men candidum intermicare¹⁾“ respicit haec Albiniana (c. 27 in.): πάντο οὖν ὀλίγοις τῶν γνωρίμων καὶ τοῖς γε προκριθεῖσι τῆς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ ἀκρόασις μετέδωκε cf. p. 36, 19 sqq. — Sic in omnibus Apulei libris, qui ad philosophiam spectant, fila quaedam detegi possunt, quibus illi et inter se et cum Cai scholis et Platonis dialogis iunguntur. Nobis quidem ea sufficiunt, quibus probare possumus tres libros de Platonis placitis, quae ad philosophiam naturalem moralemque et rationalem spectant, ab iuvene Athenis philosophiae Platonicae elementa apud Caium discente in usum Romani cuiusdam adulescentis, cuius contubernalis erat, a Graecis scholis Latine translato esse, quibus aliquo temporis intervallo interiecto libellus de mundo adiectus sit. Meliorem quam in illis philosophiae et operum Platonis scientiam in oratione de deo Socratis habita et in Apologia conspici, quae quidem ultimum opus sit ex Apulei scriptis nobis servatum. Nam *Metamorphoseon* libros ab Apuleio nondum philosophia imbuto scriptos esse manifestum est.

Sed eius operis tempus definire non nostrum est. Nobis quidem restat, ut libri de Platone exordium examinemus, quo philosophi vita enarratur. Quam vitam adhuc negleximus propterea, quod ea pars ab Albino silentio praetermissa est. Unde quaestio oritur, utrum haec ab Apuleio ex alio fonte huc illata sint, an cum eisdem Cai scholis cohaereant. Qui adhuc Platonis vitam descripserunt, in rationem, quae inter hanc vitam et reliquos vitae Platonis fontes intercederet, inquirere supersederunt, cum Speusippi commemoratione (p. 64, 11) contenti omnes vel saltem plures fabulas, quibus exornata est, usque ad illum Platonis sororis filium referrent. At duo priora capitula libelli, qui inscribitur: Προλεγόμενα τῆς Πλάτωνος φιλοσοφίας²⁾ cum Apulei opusculo comparata docent Prolegomena illa ex eodem fonte conflata esse atque Apulei libellus. Iam spectemus, quo modo Apulei vita Platonis composita et disposita sit. Platonis nomine explicato, qui Aristocles prius nominatus, a corporis habitudine appellationem accepit, parentes eius laudantur gentisque antiquitas ac nobilitas. Huic narrationi de humana origine opponitur alia de Apolline Platonis patre aliaque proferuntur argumenta, quibus demonstratur philosophum virum fuisse Apollineum: natalicium mensis et dies Apollinis sacer et somnium Socratis de olore Aca-

¹⁾ En habes Platoniorum ἑλλαμψιν! ²⁾ ed. C. F. Hermann, VI. vol. Platonis, appendicis p. 52—78.

demico. Extollitur deinde pueri ingenium eximium et litterarum capax, tum duo fratres commemorantur, denique praeceptores litterarum gymnasticaeque nominantur, nec non picturae et poeseos studia. His Socrates finem posuit, ante cuius familiaritatem Platoni Heracliti philosophia cognita est. Narrantur Platonis erga Socratis philosophiam merita, describuntur peregrinationes Socrate mortuo ad Pythagoreos, Theodorum Cyrenaicum, Aegypti prophetas factae, nec non Archytae Tarentini salutatio. Indos et Magos quominus adiret, bello prohibitus est. — His absolutis ratio demonstratur, quae inter Platonis philosophiam et antecessores atque auctores eius intercedat, scilicet ea, quod ab eo singulae philosophiae partes, iam illis cognitae in unum atque totum corpus quoddam tripertitum redactae sunt et bono sermone descriptae. Additur auditorum mentio, res familiaris a mortuo relicta describitur, denique obtrectatores refutantur eius adventus in Siciliam carpentes, et trium peregrinationum verae causae proferuntur. — Iam ex hoc conspectu elucet Apulei narrationem confusione quadam non esse liberam: Huc pertinet fratrum commemoratio (p. 64, 16), cuius locus post parentes nominatos fuit, nec non meritorum mentio, quae in Socratis philosophia excolenda habuit (p. 65, 1 — 5). Haec enim post peregrinationes enarratas suo loco repetuntur. Quod autem gravissimum est Siculae illae peregrinationes et causae earum non inter alia itinera proponuntur, sed appendicis loco vitae adiunguntur. Praeterea Academiae post reditum conditae mentio desideratur.

Idem narrationis cursus in Prolegomenis philosophiae Platonis conspicitur: Parentum et nominis commemorationem sequuntur argumenta, quibus demonstratur, eum virum fuisse Apollineum: primum ipsius verba, tum Socratis, denique ipsius insomnium, nec non mensis et dies Apollinis sacer (c. 1). Tempore vero accuratius definito etiam patris insomnium narratur, quo ne uxori gravidae coiret vetitus est. Sequitur preeceptorum enumeratio (c. 2), Socratis commercium (c. 3), peregrinationes, reditus, Academia condita, auditores (c. 4), philosophiae inventa (c. 5), mors. Capitulo (c. 7 — 13) vero secundo philosophia eius cum antecessoribus atque eis, qui eum secuti sunt, comparatur, praestantia eius prae ceteris demonstratur. Etiam dialecticae scientia extollitur (c. 11).

Narrationis cursus cum Apuleio cum Prolegomenis illis communis sit, nonnulla tamen ille habet, quae hic desiderantur, multa hic inveniuntur, quae ab illo omissa sunt. Fratrum Platonis com-

memoratio, rei familiaris a mortuo relictæ mentio in Prolegomenis desunt. Patris vero somnii vices apud Apuleium Apollinis figuratio tenet. Hoc cum Olympiodoro¹⁾ solo ei commune est, qui scripsit: (c. 1) φασίν οὖν, ὅτι φάσμα Ἀπολλωνιακὸν συνεγένετο τῇ μητρὶ αὐτοῦ τῇ Περικτιόνη. Mox tamen idem patris somnium addidit, quod in Prolegomenis narratum est. Ceterarum rerum ordo diversus est: Itaque Aristoclis metonomasia gymnasticae demum praeceptore commemorato enarratur (c. 2), Socratis somnium tum profertur, cum de Platonis commercio cum eo narratur (c. 4). Mensis et diei nataliciorum mentio deest. At Cratyli Heraclitei commemoratio ei²⁾ cum Apuleio communis est. Socratis vero dies natalis non nisi in Prolegomenis et apud Apuleium extollitur, Speusippi mentio et rei familiaris enumeratio solius Apulei propria est: Quae cum ita sint, non dubitamus asserere Apulei vitam Platonis cum Prolegomenis arto vinculo cohaerere, ab Olympiodori vita longius recedere. Sed omnes eae vitae ad eundem fontem spectare videntur, ad Cai philosophi prolegomena de Platonis philosophia. Si enim ea in memoriam revocaverimus, quae Albinus de Platoniorum dialogorum ratione atque indole disputavit in libello a Freudentalo publici iuris facto³⁾ et ea comparaverimus cum Prolegomenorum capite quarto usque ad sextum, non dubitabimus haec ad eundem fontem relegare, quo Albinus usus est. Qui cum in λόγῳ διδασκαλικῷ Cai scholas in brevem summam redegerit, etiam in altero libro eundem fontem expilasse videtur. Prolegomena vero, quae multa cum eo communia habent, vitamque, arctissime cum opusculi proposito cohaerentem, ab Albino non descriptam, suppeditant, ex eodem fonte pleniore hausta esse videntur, e Cai scholis ab Albino editis. Quae Albinus toto libello de Platonis narravit placitis, ea in Prolegomenis brevissime tanguntur, cum Platonis doctrina cum reliquorum philosophorum placitis comparatur. Eius autem comparationis vestigia etiam apud Apuleium detegimus (p. 65, 20 sqq.).— Sed hic philosophiae Platonicae renovatae cursus fortasse alia occasione enarrabitur. Nunc quidem virum ostendimus, qui Platonis placita, quae ad dialecticam, philosophiam naturalem et moralem spectant, in unius corporis formam redegit eaque, quae deerant, ex Aristotelis maxime scriniis supplevit⁴⁾:

¹⁾ C. F. Hermann, vol. VI Platonis, appendicis p. 46—51. ²⁾ ἡ διδασκαλία πάλιν ἐχρήσατο Κρατύλῳ τῷ Ἡρακλειτείῳ. ³⁾ Hellenistische Studien 3, forma deterior legitur is apud C. F. Hermannum l. l. p. 3—7. ⁴⁾ Qua in re Posidonium illum Rhodium secutus esse videtur.

Caium Platonicum. Hic novorum Platoniorum agmini in philosophiae Graecae historia praeficiendus est, quo loco eum in Cyrilli Lexico (Crameri Anecd. Par. IV) invenimus: τὸν μὲν Πλάτωνα ὑπομνηματίζουσι πλείστοι· χρησιμότεροι δὲ Γάιος, Ἀλβίνος, Ταῦρος, Πρισκιανός, Πρόκλος, Δαμάσκιος. Huius ratio novos auditores in Platonis philosophiam introducendi exemplum dedit, ad quod in Academia usque ad saeculum quintum, fortasse etiam sextum philosophiae studium coleretur: Novis auditoribus vita Platonis enarrabatur, compendium totius doctrinae in philosophiam rationalem, naturalem, moralem divisae ediscendum proponebatur, dialogorum ratio explicabatur, ordo quidam legendorum commendabatur, intellegendorum ratio constituebatur. His initiis imbuti dialogos ordine, quem ex Albino novimus, legebant magistro duce, cuius interpretandi modum vel ex Procli et Hermiae Platoniorum commentariis cognoscere possumus.



